

DESCRIPTIONIS
 INDIAE OCCIDENTALIS,
 LIBER QUINTUS.
 NOVA HISPANIA.

10

CAP. I.

Novae Hispaniae limites, caeli solique qualitates & descriptio generalis.

20



NOVA HISPANIA, principalis Americae Septentrionalis pars, per se multas magnasque provincias complectitur: olimque ad orientem Jucatanam, ad occidentem California & Nova Biscaya terminabatur: verum uti nunc provinciae Americanae in conventus Juridicos (*Audiencias* ipsi vocant) ab Hispanis sunt divisae, longe aliis limitibus continetur, & Jucatanam quidem includit, novam autem Galaxiam excludit. Patet itaque jam ab extremis peninsulae Jucatanae finibus versus ortum, ad limitem occidentalem Mechuacanæ, ubi se à nova Galaxia dividit in longitudinem circiter quadingentas leucas; in latitudinem autem inter arctum & austrum, ab extremis Panucensis provinciae limitibus ad oceanum usque Meridionalem, sive Mare Pacificum, circiter ducentas. Opportunissimo utique loco ad utrumque mare posita.

30

De soli natura & qualitatibus ita in communi judicat *Iosephus Acosta*.

l. 3. c. 24.

40

Campis pabulo fecundis, cæteras omnes Americae provincias, longe præcellit Nova Hispania, unde hic innumerabiles equorum, taurorum vaccarumque, pecudum & similibus animalium greges reperiuntur. Fructibus omnis generis supra modum abundat; nec minus frumenti ferax est, omnibusque ad victum necessariis cæteras novi orbis partes longe superat. Vini tantum copia à Peruvia superatur; nam licet vitem quidem haud maligne toleret, tamen uvas nequaquam ita maturat aut mitigat ut vino exprimendo sint idoneæ; obstat cælum mense Julio & Augusto nimis pluvium: & siquid vini interdum exprimitur, tenue est & acidius & Longobardico & Genuensi persimile.

Cælo (quod & cæteris novi orbis provinciis peculiare, quæ intra Tropicum, ab æquatore versus septentriones divergunt) gaudet sudo & sereno ab initio Novembris ad Aprilem usque: Nam Sol hisce mensibus ultra lineam æquinoctialem versus Tropicum Capricorni tendens & longius ab hoc clymate recedens pluvias arcet; & contra superato rursus æquatore ad Cancræ tropicum remeans, largis pluviis rigat quotidie solum, ita ut fluvii multi alveos suos egredientes, campestria longe lateque inundent, idque potissimum à Junio in Septembrem; Non tamen in omnibus provinciis, eodem modo & mensura, uti postea distinguemus, quum ad singularum descriptionem pervenerimus.

50 Bis quotannis in tota Nova Hispania seritur atque metitur: id soli cælique diversitate accidit: in editis quippe collibus & natura sua siccis mense Aprili & Maio fermentem faciunt, quumque ut plurimum sub vesperam largus imber decidat & sudæ sint noctes, interdum autem Sol vehementer ferueat, fruges egregie maturantur & metuntur mense Octobri: (Novembrem operiti non caret discrimine, quia nonnumquam pruina aut gelu nocturnum aristas adurit & frumentum corrumpit:), in humilibus vero & riguis aruis, quum ab Octobri ad Martium usque parum admodum

L

dum

dum pluat, sementem faciunt mense Octobri, metunt Maio: atque ita cœli solique natura alternante, etiam ferendi metendique tempestates variant. Unde jam à barbarorum temporibus provincias in calidas & frigidam fuisse divisas legimus, non quod ullæ admodum frigidæ sint, nam omnes intra zonam torridam concluduntur, sed quia aliæ montanæ sunt, aliæ planiores & campestris, uti suo loco à nobis dicetur.

Abundat imprimis argenti metallis (nam auri hic admodum rara sunt) de quibus in singulis provinciis dicturi sumus.

Denique dividitur hic conventus juridicus in plures provincias, *Mexicanam* sive Archiepiscopatum, *Tlaxcalam*, *Mechuacanam*, *Guaxacam*, *Chiapam*, quæ totidem Episcopatus habent, *Panucum* & *Iucatanam*, quæ præfecturæ vocantur; singulas ergo ordine prosequemur, ubi ante arbores quædam & plantas insigniores aliaque ejus generis descripserimus.

C A P. II.

Resinarum & liquorum aromaticorum descriptio, quorum magna copia in Nova Hispania invenitur.

QUANTUM plures provinciæ tam Septentrionalis quam Australis Americæ resinas & liquores aromaticos ferant, tamen Nova Hispania cæteras longe superat eorumdem varietate, præstantia atque copia, quorum nonnullos præstantissimos hic describemus.

Intèr resinas facile primum sibi locum postulat *Liquidambar*; arbor quæ resinam hanc exsudat à Mexicanis appellatur *Xochiocotzol quaxihuitl*; estque admodum vasta, folia illius sunt similia Laricis foliis, duobus sinibus in tres angulos divisa, una parte candicantia, altera obscure virentia & undique ferrata: Cortex trunci & ramorum partim viridis est partim rubicundus: eo vulnerato emanat liquor sive resina, quam Hispani vocant *Liquidambar*, Mexicani *Xochiocotzol*, quæ suavitate odoris accedit ad storacem: est calida in tertio gradu, & siccandi facultate prædita: foris applicata refocillat ventriculum debilem, corroborat cor, conciliat somnum; suffitus illius sedat dolores capitis è causa frigida natos; estque singulare remedium adversus spasmodum & affectus uterinos. Manat quoque ex eadem arbore oleum non minus præstans odore & virtute medica; quod à nonnullis usurpatur pro storace liquida: alii putant oleum hoc stillare ex resina soli exposita, aut prælo expressa, ita ut subtilior pars à crassiore segregetur, in quo falli videntur. Qui plura de hac resina & oleo desiderat, adeat *Nicolaum Monardem* in exoticis *Caroli Clusii*, ubi & vires illius accurate descriptas inveniet.

Secundum locum sibi flagitat *Copal*: barbari autem Novæ Hispaniæ & imprimis Mexicani communi nomine omnes resinas odoratas & gummi vocant *Copal* & varias illarum species peculiaribus distinguunt agnominibus, plures enim sunt arbores quæ ejusmodi resinas fundunt, quas non abs re fuerit particulatim recensere, ut differentia nostris penitus innotescat. Primo itaque per excellentiam vocant *Copal*, resinam candidam & transparentem, quæ exsudat ex arbore, cujus folia sunt similia robori, sed longiora, fructus rotundus colore subrubente & eodem sapore cum resina; quæ ex arbore manat interdum sponte, interdum vulnerata; vocant *Copal quahuitl*, id est, arborem quæ fert *Copal*. Nascitur locis calidis; & diversitas quædam observatur, inter arbores quæ montosis locis aut campestribus proveniunt, tam in forma ipsius arboris, quam in colore resinæ. Secundò vocant *Copal quahuitl patlahuac* ob latitudinem foliorum qua ejusdem generis arbores multum excedit; est autem arbor mediocris, foliis dissectis & admodum similibus plantæ quæ in Hispaniis appellatur *Zumaque*, latinis *Nautea*, tam quoad colorem, asperitatem siccitatemque, quam formam foliorum: ramos habet instar alarum, è quibus eliquat resina cædida quidem, sed nonnihil diversa à superiore & minore quantitate. Tertio *Copal quahxiotl*, quæ est arbor procerà & glabro cortice qui facile se patitur à trunco separari: folia illius sunt parva sed longiuscula, similia rutæ licet minora & longiora: fructus fert racematim pendulos à singulis pediculis: exsudat liquorem resinofum, colore & odore similem *Copal*, sed parce admo-

admodum. Quartò *Tepecopalli quahuatl*, id est, *Copal* montensis; quæ est arbor modica foliis arbuti, ferens fructus similes glandibus, qui continent nucleum coopertum quadam saliva lubrica & resinosa, intus candidum & ad diversa utilem. Exsudat hæc arbor resinam admodum similem thuri antiquorum, & uti creditur illius speciem, quare ab Hispanis in America appellatur *inciense de las Indias*, id est, thus Americanum, & à nonnullis *Anime*: atque hoc sibi voluit *Monardes*, qui distinguens inter *Copal* & *Animen* dicit; *Copal* esse resinam admodum candidam, lucidam, transparentem, magnis fragmentis & haud dissimilem diacitro valde transparenti; *Animen* autem esse resinam albam vergentem ad colorem thuris & *Copale* magis oleaginosam. Differre autem ab *Anime* orientali, quod hæc peregrina neque tam candida sit neque tam lucida. Huic insignem virtutem tribuunt, matricem loco motam restituendi. Quintò *Cuitlacopalli* sive *Xioquahuatl* ob trunci scabritiem; quæ est arbor mediocris, foliis parvis & orbicularibus; ferens grana racematim collecta instar *Oxyacanthæ*, valde odorata & viscosa: fundit de se gummi nonnihil odoratum, quod calidum judicant in tertio gradu & humectandi facultate præditum. Sextò *Tecopal quahuatl pitzahnac*, id est, *Copal* arbor subtilibus frondibus; est arbor mediæ magnitudinis, quæ exsudat lachrymam sive speciem thuris, quæ paulo nigrior est; habet folia ordine quodam digesta ad alterum ramorum latus, paulo majora rutæ foliis; fructum fert minutum, rubicundum & figura piperi rotundo non absimilem; quorum unum atque alterum ordine digestum habet ad singulos ramos. Septimò *Xochicopalli*, id est, *Copal* floridum (vocatur & *Xarapisca*;) quæ est arbor modica foliis menthæ Saracenicæ, licet non tam profundè dissectis, quæ terna conjunctim ramis hærent: truncum habet valde odoratum; exsudat liquorem coloris fulvi sive leonini, qui redolet mirum in modum limones. Octavò *Mizquixochicopalli* vel *Xochicopal quahuatl*, quæ est arbor grandis, foliis aurantiæ mali; trunco notis quibusdam candidis variegato, floribus rubicundis sed exiguis: exsudat resinam coloris ignei, quam *Animen* vocant atque etiam *Copal*. Cæterum resina quæ per excellentiam vocatur *Copale* est calida pene in tertio gradu, siccans aliquantulum & adstringens, suavissimo odore, lenit dolorem capitis suffitu suo, si oriatur è causa frigida: medetur suffocationi uterinæ & ut compendio dicam, præfens est remedium adversus omnes affectus è causa humida aut frigida; idem præstant & cæteræ species *Copal*. videatur idem *Monardes*.

Tertium locum attribuo Resinæ quam barbari vocant *Holli* & Hispani *Vle*; arbor appellatur *Holquahuatl*: illius duæ reperiuntur species; una quæ truncum obtinet lævem & fulvum, plenum pulpâ lenta & viscosa, flores candidos, & frondes grandiores, & sphæriculas subrubicundi coloris trunco affixas, plenas fructibus candidis instar avellanarum, qui cooperiuntur tela fusca, sapore amaro. Altera habet folia similia aurantiæ foliis, sed paulo majora: utriusque cortex est amari saporis. Cortex incisus fundit resinam, quæ initio est coloris lactei, tum fusci & denique nigri: cogitur in pilas rotundas, quibus & barbari loco pilarum utuntur: hac corpora sua illinunt: eandem & cum certis vermibus quos vocant *Axin* in pillulas coactam deglutiunt; ut agilitatem sibi addant & membra in omnes partes versandi & flectendi miram dexteritatem; pollet & medicis facultatibus, movet enim urinam, mundat uterum, & putatur sterilitatem fœminarum corrigere. Folia hujus arboris siccata & contusa, leones, tigres & similes feras dicuntur necare.

Quartum locum tenet *Tecomahaca*, uti corrupto paulum nomine jam vulgo appellatur, nam barbari vocant *Tecomahiac*, itemq; *Copalybyac*; & *Memeyal quahuatl* ipsam arborem; Est autem arbor grandis, foliis orbicularibus & serratis; fert in extremo ramorum fructum exiguum, rotundum, ruffum, plenum seminibus instar nucleorum cotonei mali; planta est acris & mordax, odorifera cum adstringendi facultate: ex hac interdum sponte, interdum vulnerata, emanat resina jam omnibus nota, quæ easdem facultates obtinet cum antecedentibus: quidam myrrhæ loco usurpant: sedat dolores è flatulenta materia ortos; dissolvit tumores lentos & viscosos; utero autem adeo amica est ut prunis imposita & naribus apposita statim laborantibus succurrat; umbelico applicata retinet menses immoderate fluentes, corroborat matricem, eamque servat suo loco: dentium concavitatibus indita; sedat dolores eosq; liberat à putredine; denique præstantissimum est remedium adversus omnes affectus è causa frigida.

Quinto loco nobis dicitur *Caranna*: hæc eliquatur è grandi arbore, quam barbari Mexicani vocant *Tlahuilillocan*; truncum habet lævem, rubrum & splendentem, valde odoratum; folia similia oleæ, decussatim aut crucis in modum disposita: resina obtinet easdem facultates quas *Tecomahaca* & ut quidam opinantur etiam majores, licet non tam crebro usurpetur, uti adhuc ignotior.

Sexto loco Gummi quoddam odoriferum instar Anethi, quod funditur ab arbore, quam barbari vocant *Huitzil xochitl* & *Anetl-inan*, quæ truncum habet rectum & glabrum, exteriore parte obscure virentem, interiori candidum, folia ferrata & acuta, similia basilico: flores pallidos, sed ad oras flavescentes: sapore juxta atque odore similes anetho, efficacia vero majori. 10

Septimo resinam candidam & valde odoratam qua medici barbari plurimum utuntur adversus dysenteriam: injecta in aquam statim resolvitur in lacteum liquorem, quem ipsi vocant *Quahcitali*, & exhibent quantitate oboli per se aut cum Copal, sistit mirifice sanguinem è quacunque parte corporis manantem, sed cavendum ne majori quantitate sumatur: emanat ex arbore valde procera, quã vocant *Quahcopaltic xixio*, truncum habet lævem & tenerum, & sponte diffilientè instar squamarum; folia basilici, fructus oxychantæ, licet majores, qui initio virent, sed mox rubescunt.

Postremo loco nobis commemorandum *Balsamum*; *HutZochitl* (inquit *Fr. Ximenes*, quem & in antecedentibus secuti sumus) quam Panucenses barbari appellant *Chute* & Hispani *Balsamum* (quia exsudat liquorem admodum similem Balsamo Sy- 20
riæ & nequaquam inferiorem odore & qualitatibus) est arbor magnitudine aurantiæ mali, foliis amygdali, sed majoribus & acutioribus; fert flores flavos in extremitatibus ramorum, foliis longis & angustis, in quibus certa semina inclusa reperiuntur, ad fuscum colorem vergentia. Cortex hujus arboris quavis anni tempestate, sed præcipue quum pluvix desinunt, incisus effundit nobilissimum liquorem, colore fulvo vergente ad nigrum, sapore acri & nonnihil amaro, odore vehementi, sed gratissimo. Cogitur & alio modo, Gemmas arboris & teneriores ramulos minutim concisos coquendo in aqua & oleosam substantiam quæ supernat colligendo in vitrum; sed hoc Balsamum ignobilius est. E seminibus autem hujus arboris exprimitur oleum non minus suavis & grati odoris, haud dissimile oleo amygdalarum amararum, sed acrius: 30
pollet eisdem pene virtutibus quibus Balsamum; de quibus medici consulendi & imprimis *Monardes*. Alia præterea arbor hic reperitur, quam vocant *Quauiconex*, modicè proceritatis, crasso trunco, materie solida ac dura, odorataq;: Folia illius sunt lata, flos minutus ac candidus, fructus similis baccæ lauri. Corticem hujus minutim concidunt, & quatuor diebus macerant in aqua, dein exemptum foli exponunt, & ubi incaluerit, exprimunt prælo, liquorem admodum similem Balsamo, & ad varia utilem.

Nihil hic dicam de *Lacca*, licet ejus quoque copia suppetat, nisi arborem quæ illam fundit hic appellari *Tzinacan cuitlaquahuitl*: sicuti nec de sanguine Draconis, licet arbor quæ illum producit, hic frequentissima sit & *Exquahuitl* appelletur; qui descriptionem illius desiderat adeat *Monarden*. 40


C A P. III.

De fructiferis aliquot arboribus, plantisque Novæ Hispaniæ peculiaribus.

INTER fructiferas arbores primo nobis commemoranda, *Achiotl* quam alii vocant *Changuaricam*, quidam & *Pamaquam*, quam *Fr. Ximenez* ita describit: Est arbor magnitudine & trunco, formaque aurantiæ malo similis: folia sunt ulmi foliis figura, colore & asperitate admodum similia; cortex, truncus, & rami sunt ruffi vergentes ad viridem colorem; flores grandes in modum stellarum quinque foliis distincti, coloris è candido rubicundi; fructus est similis calicibus castanæ, forma 50
& magnitudine parvarum amygdalarum viridium, quadrangularis, qui ubi maturuerit dehiscit, certa grana rubentia similia granis uvarum, sed magis rotunda continens. Barbari hanc magni faciunt, coluntque circa tuguria sua, viret toto anno, fertque fructum verno tempore, quo & materies illius cædi solet, quæ utilis est ad ignem eliciendum, instar silicis: cortex est utilis ad funes & rudentes, qui robustiores sunt cannabinis. E semine denique fit tinctura coccinea qua pictores utuntur: eadem

eadem & in medicina usurpatur, quum frigida sit qualitate; cum aqua aliqua ejusdem qualitatis hausta, aut foris applicata, mitigat æstus febriles, sistitque dysenterix fluxum; denique utiliter adjungitur omnibus potionibus refrigerantibus: unde etiam vulgo miscetur potioni Cacao ad refrigerandum & bonum saporem & colorem illi conciliandum.

Secundò *Amacoztic*. (quam alii vocant *Texcalamatl*, alii *Tepeamatl*) arbor grandis latis foliis & instar hederæ, crassis & subpurpureis, & pene figura cordis ut pingitur vulgo, ferens fructus similes exiguis ficibus, colore purpureo, plenos seminibus minutis & rubris. Pene adducor ut credam hunc esse fructum illum, aut certe illi similem quem Clariss. Clusius in exoticis suis expressit, ideoque Iconem quam dedit hic adjungendam existimavi. Credo autem eundem virum Clarissimum haud frustra suspicatum hunc fructum esse arboris quam in Insulis appellant *Gaguey* quam Oviedus describit lib. VIII. cap. xv. *Gaguey* (inquit) est arbor producens fructum instar ficus, verum haud majorem avellana, interiori vero plane ad modum ficus candidæ castellanæ, plenum minutissimis granulis, & grati saporis. Fr. Ximenes scribit, decoctum radicum humectare linguam febricitantium; pectoris dolores lenire; & proprietate quadam occulta, choleram evacuare & flegma, per vomitiones & sedes: coquendo tres uncias radicum in tribus aquæ libris, donec dimidia pars consumatur.

Lib. I.
c. XI.

Tertiò *Copalxocol* (quia materies illius redolet *Copal*) quam Tarasci vocant *Pompoquam*, arbor est foliis cerasi nostratis; fructus ferens similes exiguis pomis, dulces quidem sed valde adstringentes; qui exsudant salivam quandam valde viscosam, quam febribus dysenterix mederi volunt.


Quartò *Quauhayohuatli* quam alii vocant *Quahatlalzin*, est arbor grandis, crasso trunco, rubro & contorto, ramis undique projectis, foliis Adelfæ sive Rhododendri, angustis & longis, fructu orbiculari sed compresso, simili fabis marinis, sed minore. Fabæ Iconem hic exhibemus ea mole & forma qua revera est ad vivum expressam. Quinque horum fructuum aut ad summum septem mirifice purgant, si ante paulum torreantur & contusi in vino macerentur; sed auferendæ sunt membranæ quibus tecti sunt, & quibus per medium sunt divisi. Monardes de hisce ita scribit: Fabæ purgatrices quæ Carthagine & Nomine Dei nascuntur, nostris similes sunt, ejusdem cum nostris formæ & coloris, pellicula quadam tenui, ut ceparum tunicula est exterior, illas per medium interfecante, quæ cum cortice abjicienda est; alioquin tanta vehementia supernè & infernè purgant ut in vitæ discrimen sumentem conjiciat. Quæ fabarum nostrarum similitudo, quæ cur illis tribuerit ignoro (nisi forte adhuc aliæ reperiantur præter has quas exhibemus,) Clariss. virum Clusium multum frustra torsit ut aliquam Iconem illis daret. Hanc quam expressimus fabam purgatricem esse certo certius est, colore castanearum, & minime crassam aut admodum convexam, denique nihil simile habentem cum nostrate faba communi.



cap. XLIX.

50 Author noster Fr. Ximenez & aliam arborem nomine *Quahatlalzin* describit, quæ ita vocatur, quia fructus ubi maturuerit, dehiscit cum magno strepitu, & tam longe diffilit quasi tormento bellico ejiceretur: est arbor grandis, foliis mori, sed majoribus, in ambitu serratis, cum multis venulis: truncus illius est fulvus: fructus rotundus, sed utrimque compressus & striatus instar melonis, continens duodecim aut etiam plures nucleos candidos & orbiculares, figura nummi regalis; quorum duo (demptis membranulis quæ medios dividunt, has enim angores causare observant)

superne & inferne purgant omnes noxios humores, maxime biliosos & pituitosos; nuclei autem nonnihil torrendi sunt & aqua macerandi & à jejunis sumendi: medicamentum est securum.



Quintò *Quahuachitli* sive arbor quæ fert pineas nuce purgatrices: hæc est arbor mediocris magnitudinis, foliis grandibus instar lap- 10
pæ, quasi rotundis
& crenatis; fructus est similis communibus nucibus, con-

tinens tres nucleos, suis septis & concavitatibus divisos, qui admodum similes sunt nostris pineis nucibus, verum majores, & longe diversis facultatibus præditæ: nam pollent singulari virtute superne & inferne evacuandi omnes humores noxios, præcipue crassos & lentos; quare fere in morbis inveteratis adhibentur, quinque aut septem, & nescio qua causa aut quo mysterio etiam novem; torrendæ autem ante sunt ut lenius operentur, deinde frangendæ & in vino aut aqua macerandæ; sunt natura 20
calidæ & pingues. Iconem hic exhibemus. Clariss. Clusius hunc fructum descripsit & iconem expressit in notis ad Monardem sub nomine Ricini Americani; quamquam vix credo eundem fructum fuisse, neque enim forma nucleorum aut ipsius siliquæ satis convenit; Iconem autem nostram ad vivum exprimendam curavimus, prout fructus ad nos delatus fuerat è Brasilia, ubi à Lusitanis *Pinnonos de brasil* appellantur. Vide Monarden de oleo quod ex hoc fructu exprimi scribit.

cap. iv.

Sextò *Ahuacaquahuatl*; quæ est arbor similis ilici, foliis aurantiæ mali, sed magis virentibus, majoribus & magis asperis, flore exiguo & è candido flavescente; fert fructum ovi forma, sed longe majorem & asperiolem, quique magis accedat ad formam & molem ficus præcocis (quam Hispani vocant *Brevam*) exterius nigri coloris, 30
& interdum obscure viridis, interius herbacei, ita pinguis ut vaccino butyro accedat, sapore nucum recentium; folia illius sunt odorata, calida & sicca in secundo gradu, quare vulgo in balneis usurpantur. Fructus quoque est calidus & palato gratus quem Hispani corrupto nomine vocant *Aguacaten*, & licet non sit ingrati saporis neque improbi nutrimenti, tamen est pinguis & humidus, & valde excitat venerem & auget semen. Continet interius certa ossicula sive nucleos ex albo rubentes, læves, duros & solidos, in duas partes instar amygdalarum divisos, sed longiores & majores ovis palumbum; quibus sapor est amygdalarum amararum, unde & simile oleum ex illis exprimitur, non modo ejusdem odoris sed & saporis & efficacæ.

Septimò *Quahutzapotl*, aliis quoque *Texaltapotl* Hispanis *Annona*; est grandis ar- 40
bor foliis aurantiæ mali, sed angustioribus; floribus candidis & in tres angulos divisos, qui magnitudine & odoris suavitate sunt similes floribus pyrorum præcocium. Fructus variegatur rubris & herbosis notis, magnitudine melonis Americanæ; partes illius interiores scatent nucleis exiguis & nigris; valde similis est substantia illius celebri illi obsonio, quod vocant *Maniar blanco* tam colore quam suavitate, licet neutiquam eadem nutriendi facultate polleat, nam generat flatum & pravos humores; grana hujus fructus sistunt alvum.

Octavo *Xahualli* (de qua alibi me dicturū promisi,) est pulcherrima arbor, habens folia similia fraxino; materies illius est gravis, pardo colore vergens ad fulvum: fructū fert similem capitellis papaveris, absque corona tamen: quem maturum nonnulli come- 50
dunt; Indi autem aquam ex illo exprimunt, qua crura & totum interdum corpus abluunt, quando caro præ lassitudine flaccescit, ad corroborandum illam; nam propria illius vis est astringere, & porro nigro colore tingere; cutis enim sensim tingitur colore nigro, qui nullo modo ablui potest, sed post xv dies sponte evanescit: ungues autem numquam colorem mutant, nisi quum ipsi mutantur. Barbari in symposiis & expeditionibus bellicis se hoc liquore solent tingere ut hostibus suis terribiliores appareant.

Nono

Nono *Coatl* & aliis *Tlapalezpatli*, grandis frutex, quique non raro in molem arboris excrescit, truncus illius est crassus, enodis instar piri arboris; folia sunt similia cicercis foliis, verum minora, aut non dissimilia rutæ, aut paulo majora: flores exigui, oblongi, lutei & spicatum digesti; est frigida & humida planta, licet parum recedat à medio temperamento. Materies illius tingit aquam cæruleo colore, quæ pota refrigerat & mundat renes & vesicam, temperatq; urinæ acrimoniam; jam à multis annis infertur Hispaniæ, ubi *Lignum Nephriticum* appellatur. Monardem hic audiamus: Mit-^{c.xxvii.} tit etiam nobis Nova Hispania ligni quoddam genus crassum & enode, materie pyri, 10
cujus usus jam diu receptus fuit in his regionibus, ad renum vitia, urinæque difficultates & incommoda. Postea experimento comprobatum est, ejus aquam in Jecoris & 11
Lienis obstructionibus, utilem esse. Illa autem hac ratione paratur: Lignum assul- 12
tim & minutim concisum in optima & limpidissima aqua fontana maceratur, atq; in 13
ea relinquitur donec aqua à bibentibus absunta sit. Dimidia hora post injectum li- 14
gnum, aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui sensum intenditur pro tem- 15
poris diuturnitate, tamen si lignum candidum sit, (cæruleum ideo dico, quoniam adul- 16
teratur alio ligno simili, quod aquam croceo colore inficit, ne quis fallatur.) Hac aqua 17
assiduo utuntur, ea vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus, sine ulla hu- 18
morum commotione, neque opus est alia victus ratione, quam temperata: aquæ enim 19
sapor non magis immutatur ligni injectione, quam si nihil in ea maceratum esset, 20
Calidum & siccum est in primo gradu. Hæc ille. Observat *Fr. Ximenez*; lignum post-
quam quindecim dies continuos aqua maceratum fuerit, virtutem illius penitus ex-
hauriri, neque amplius aquam colore illo cæruleo tingi.

Decimo *Higuero* (ut vocant Hispani) arbor grandis, foliis nostratis mori, atq; adeo forma & magnitudine illi similis: fructus fert instar cucurbitarum, oblongos, orbiculares & aliis figuris: è quibus barbari cyathos & alia vasa conficiunt, quæ vocant *Tecomates* è quibus vulgo potum Cacao hauriunt. Medullam fructus nonnumquam comedunt barbari, quum alio victu destituuntur, est similis medullæ cucurbitarum.

Undecimo *Xalsocotl* (indigenæ Insulæ Hispaniolæ vocabant *Guyabo*, quod 30
nomen & Hispani retinent) est arbor grandis, cujus variæ reperiuntur species: quarum duas *Fr. Ximenes* ita describit: (Iconem autem ab Hispano delineatam ramuli cum fructu hic apponendam duximus:) prima est foliis aurantiæ mali, sed minoribus & villosis, floribus candidis, fructu rotundo & pleno granulis pene instar ficus, unde illi nomen apud Mexica- 40
nos natum, quod sonat fructum arenosum: folia sunt acida & astringentia & valde odorata, sanant scabiem, & solent illis uti in balneis; cortex est frigidus & siccus valdeque astringens: decoctum illius discutit inflationes crurum, & sanat plagas fistulosas; surditati quoque mederi volunt, & ventris dolores tollere, propter facultates quasdam occultas quæ non obser- 50
vantur. Fructus est calidus & siccus, præcipue pars illius exterior & solida, nam interior blanda est & caloris moderati, redolens quodammodo cimices, nihilo tamen minus mensis infertur, & cum voluptate à plurimis gustatur, licet non omnibus æque conveniat. Sunt qui concoctionem promo-
vere



lib. VIII.
cap. XIX.

vere dicant & ventriculum calefacere ex causa frigida languentem. Secunda species fructus fert longe majores, neque tam male olentes, itaque deliciares habentur. Hæc ille. Describit & eandem arborem & fructum *Oviedus*: Arbor (inquit) est grandis, foliis aurantiæ, sed rarioribus ramis & magis sparsis, frondibus quoque haud ita virentibus, formaque magis accedentibus ad lauri folia, nisi quod paulo latiora sint & crassiora, & venis magis tumidis. Duæ sunt hujus species, sed omnes ferunt fructus instar pomorum, alios longos, alios rotundos; alios carne rubra, alios candida; omnes tamen cortice viridi aut flavo ubi plenè maturuerint; verum quia maturi, sapore sunt ingratiore, & vermibus obnoxii, ut plurimum virides carpuntur: Intus sunt solidi, in quatuor veluti partes divisi; quibus & granula quædam durissima continentur: in fastigio habet fructus coronam foliorum minorum quæ facile excidunt. Meminit & Gomara; & Monardes uti videre est in Exoticis C. Clusii.

c. LXIV.

Duodecimo *Maguey* vulgo, Mexicanis *Mel*; arbor quæ ab indigenis magni fit & studiose colitur; folia illi sunt lata & crassa (regularum propemodum magnitudine & eodem modo carinata ut Gomora testatur) longis validisque spinis & extremum mucronem armata, quæ acuum & acicularum atque adeo terebrarum usum præstant, interiores autem foliorum fibræ, filorum; Truncum autem satis crassum; & pyramidis in modum fastigiatum, incidunt atque excavant, è quo emanat liquor, instar aquæ, limpidissimus, potari pulcherrimus atque adeo salubris, tanta copia ut (mirabile dictu) ex una planta interdum quinquaginta arobæ (quarum singulæ capiunt XVI sextarios) effluent: is levi decoctione convertitur in *Mel*; depuratione in Saccharum; dilutione in acetum & addita *Ocpactli* (radix est quæ à præstantia *Vini Medicina* vocatur, quam tamen non invenio ab authore meo descriptam) in vinum: *Fra. Ximenez* scribit vinum fieri è Saccharo illius affundendo aquam, & miscendo semina aurantiorum, melonum & alia, quo facilius inebriet: Barbari avidè illud hauriunt, licet insalubre sit, valideque caput tentet & inebriet: nullum autem cadaver, nulla sentina ita fætet uti illorum halitus qui illo vino se ingurgitarunt. Longum esset omnes usus hujus plantæ describere: *Franciscus Hernandez* & illius interpres *Fr. Ximenez* inter herbas recensent, & tribuunt illi folia sempervivi sive Aloes; pluresque illius commemorant species, magnitudine & forma nonnihil diversas. Virendus & Acofta: & Clariff. Car. Clusius. Rariorum plantar. lib. v.

c. XLVIII.

Decimo tertio *Mizquitl* quæ (uti scribit *Fr. Ximenez*) est arbor admodum communis in Nova Hispania, ubicunque locorum sponte nascens, sed præcipue in montanis; silvestris & spinosa, foliis subtilibus alliorum in modum; siliquas habens pendulas, quemadmodum Tamarindi & ejusdem pene formæ, edules, oblongas, dulces & grati saporis, plenas granis, è quibus barbari Chichimecæ certas pillulas conficiunt, quibus vescuntur loco panis: hanc (inquit) veram cassiam antiquorum esse judico, quæque producat verum gummi Arabicum; cujus magna in Nova Hispania reperitur copia, hætenus non sine insigni negligentia ignorata: liquor è stolonibus hujus arboris expressus, aut aqua in qua macerati fuerint, collyry in modum oculis adhibita mirifice medetur omnibus oculorum affectibus.



ejusmodi vidimus è Nova Hispania allatos, vacuos omnes, ita ut de semine illius nihil possimus dicere: *Ximenes* testatur frigidum esse & glutinosum. Qui & observat è foliis hujus arboris fila neri, (è quibus telæ fiunt,) magis valida licet tenuiora, quam quæ nentur è *Maguey*.

Decimo quarto *Yecotl* quam Hispani vocant palmam montensem & nonnulli Indi *Quauhlepoptli*; quæ ex una radice profert duos aut tres truncos, qui flores ferunt candidos & odoriferos, racematim pendulos, & in sex foliola distinctos, è quibus nascuntur fructus similes pineis nucibus, quales hic expressimus, qui elegantissimi sunt, varia mole & figura, colore ut plurimum castaneæ. Dubito an hunc fructum expresse- rit Clusius in exoticis lib. II. cap. III. plures

Decimo-

Decimoquinto & ultimo loco nobis describenda restat (nam omnes persequi non est hujus operæ) mirabilis arbor, quam *Mexicani*, *Nochtli*, insulares *Tunam* appellant (Europæi ficum Indicā) si modo arbor dicenda est, quum sine caudice aut ramis adolescat, nihilque pene lignei habeat; verum forma illius jam vulgo notissima est. Duæ autem illius species reperiuntur; agrestis quæ aut nullum fructum fert, aut ita spinosum ut nulli usui sit: & hortensis quæ fructus fert turbinata forma & ficum non dissimiles, eadem pene mole & glabros, quorum cute crassiore detracta pulpa interior apparet, granis quamplurimis referta, prædulcis & gratissimi saporis, eaque aut alba quæ præstantior judicatur, aut rubicunda purpureave, ita ut manus sanguineo colore tingat, sicuti mora, & urinam comesta simili colore inficiat, quæ res medicos ignaros interdum ludit. Est & alia species, Americanis *Nochezcli Nopalli* aut *Nopal nochezcli*, quæ licet tales fructus minime ferat, tamen majoris fit & diligentius colitur, quia fert pretiosum illud granum, quod vulgo *Cochinilla*, à Cocco veterum, dicitur, tinctoribus ob elegantiam coloris tantopere expetitur; id granum siccatur ab indigenis atq; infertur toti Europæ ditissimo commercio: quinque mille sexcentas septuaginta arrobas anno cIo Io LXXXVII una classe in Hispaniam traductas refert *Acosta*. Hæc planta loca amat temperatiora; *Herrera* illius culturam ita describit: *Cochinilla* granum quam plurimis *Nova Hispania* regionibus generatur ad arborem quæ vocatur *Tuna*, quæ crassissima habet folia, quibus propagatur in locis apricis & ab aquilonibus defensis; Est autem vivum animalculum vel potius insectum, à cimice forma non multum abluens, quum primum plantæ se applicat pulice paulo minus, è semine erumpit acari magnitudine, & arborem integram atq; adeo totum hortum implet, & semel atque iterum quotannis colligitur; arbores certo ordine instar vitium disponunt & studiose colunt, & repurgant à zizaniis; quo recentiores sunt plantæ, eo copiosius & præstantius ferunt granum: imprimis autem necessarium est ut à variorum insectorum injuria defendantur, nec minus à gallinis quæ granum devorant; utuntur vulpina caudis ad plantas detergendas ne novella insectorum seminaria lædant; ubi autem jam satis adoleverint, magna cura eximuntur, necanturque aqua frigida aspersa, atque in umbra siccantur & conduntur fictilibus: eadem & cinere injecto enecant, deinde abluunt, atque aliis insuper modis suffocant; frigida tamen enecta cæteris præstant. Plurimis denique modis granum à mercatoribus adulteratur, quatuor enim fere illius reperiuntur species; una quæ nullius pretii colorem fundit utpote agrestis & inculta: altera nigrior, quæ etiam sponte & absque cultura provenit: tertia montensis quam chichimecam vocant, inferioris quoque notæ; quas omnes quartæ quæ culta & optima censetur, permiscet. Optimum longe granum dat *Tlaxcala*, cujus indigenæ præstantissimam tincturam ex illo conficiunt (qua pictores utuntur & fœminæ ad facies infucandas) hoc modo, comminuunt & macerant in decocto arboris *Tezhuatl*, addito pauxillo aluminis, & ubi resederit cogunt in tabellas quas Hispani vocant *Granaen pan*. *Fr. Ximenez* scribit hanc plantam gummi quoddam producere, quod renum & urinæ calorem temperet: Succum autem plantæ, aut aquam ex illa extractam admirabile remedium esse contra febres pestilenciales & biliosas.

C A P. IV.

De floribus quibusdam & herbis, animalibus & gemmis Novæ Hispaniæ.

INDIGENÆ *Nova Hispania*, præ ceteris nationibus, maxime delectantur floribus, atq; ex iis corollas & ferta elegantissima componunt, quæ *Suchiles* appellant; mira quippe hic florum elegantia & infinita pene varietas, quorum nonnulli & odoris suavitate præcellunt, quales imprimis illi quos arbor quædam fert, quam *Floripondio* vocari volunt, nullos præterea fructus ferens; sunt autem liliis paulo majores, campanularum instar penduli, candidissimi, staminibus è medio liliorum instar emicantibus: Spirant suavissimum odorem, præsertim aura matutina sufflaminante; Floret arbor toto anni tempore sine intermissione. Quales & illi, quos fert arbor *Xuchinacaztli* vel *Hueinacaztli*, Hispanis *Flor de la oreia*, à figura, nam constant foliis interiori parte purpureis, exteriori virentibus & ita dispositis ut aurem referant; suavissimi & gratissimi odoris. Et quos arbor *Tolloxochitl* fert, quorum umbelicus cor refert, cinctus multis

multis foliis albicantibus & interiori parte subrubentibus, grandibus, & glutinosis atque beneolentibus: quæ imprimis magni faciunt, tam ob singularem elegantiam, quam insignes qualitates contra affectus uterinos. Quales denique flores arboris *Cacaloxochitl* (nam omnes recensere longum esset nimis) qui sunt grandes, pulchri & fragrantissimi odoris; quidam coccinei coloris, quidam candidi & plurium colorum; nascuntur ex illis fructus, siliquæ grandes, crassæ & rubicundæ, quarum pulpa in medicina usurpatur ad ventriculum & intestina mundanda.

De Flore Africano aut Thunetano (ut vulgo creditur quum potius Americanus esse videatur) de quo Dodonæus & alii egerunt; hic non dicerem, nisi author meus *Fr. Ximenez* quædam annotaret quæ operæ precium fuerit cognoscere. Scribit autem 10
pag. 2. l. 3
c. 12. florem hunc à Mexicanis vocari *Cempoalxochitl* à multitudine foliolorum, & ab Hispanis Clavellinas de las Indias, falso autem credi esse veterum Othonam aut Florem Jovis; forma jam omnibus satis nota est: pleriq; qualitates & virtutes illi attribuunt venenosas: hic contra salubres; quas ita describit. Succus Foliorum floris, aut ipsa folia contusa & è vinò aut aqua hausta, medentur ventriculo refrigerato; movent urinam, menses & sudores; foris applicata ante accessum solvunt rigores febrium intermittentium; discutunt flatus; excitant venerē, sanant cacohexiam è causa frigida natam, aut ab intemperie jecoris; aperiunt obstructa; relaxant nervos contractos; medentur hydropi; cum frigida sumta cient vomitiones; denique admirabile est remedium adversus omnes affectus frigidos, evacuando causam mali per urinam & sudores. 20
 Plures sunt illius species, sed maxima proprie *Cempoalxochitl* appellatur; ex hac fit balsamum ad vulnera curanda, friendo in oleo communi & addendo succum eorumdem florum, donec consumatur & reliquum percolando, pauxillo ceræ admixto ut densetur in unguentum; singulare est remedium contra vulnera & hæmorrhoides. Nihil hic de virofa qualitate; & tamen de una eadem planta loqui Dodonæum & alios, atq; hunc Ximenem ex omnibus circumstantiis liquido apparet. Iudicent herbariæ rei Periti. Agnoscit & aliam herbam nomine *Cempoalxochitl*, sed ab hac diversam, quæ fert folia Chæchorei spinosa & ferrata, asperaque, juxta originem nigricantia aut cinerea: caules palmares, luteos & qui desinunt in flores, instar floccorum cardui, à quibus nomen accepit: hujus decoctum est amarum, & in enemate sumtum solvit 30
 alvum, movet urinam & sedat dolores ventris; est acris & subtilium partium; calida & sicca in tertio gradu: prodest tussi, provocat sternutationes & succus naribus inditus educit flegma.

Herbarum paucas recensimus ob peregrinam illarum naturam, & alias qualitates: & imprimis quam barbari *Ycuinpatli* & *Quimihpatli* vocant, Hispani *Cevadillam*; cujus aliquot reperiuntur species, sed præcipua fert folia longa & angusta, lineis quibusdam distincta secundum longitudinem; caulem tres palmos longum, cui spicatim annascuntur grana instar hordei, sed minora: tam urente & caustica vi prædita, ut in gangrenis & malignis ulceribus quum cauterio opus est, eosdem edat effectus, quos sublimatum atque adeo candens ferrum. 40

Secundò *Tlilxochitl* quæ est herba volubilis, foliis instar plantaginis, sed longioribus & crassioribus, scandit arbores, easque complectitur: fertque siliquas oblongas, angustas & quasi rotundas, quæ redolent balsamum Novæ Hispaniæ; iconem illarum ad vivum expressam hic subjicimus: miscentur celebri potioni Cacao; pulpa illarum est nigra minutis seminibus referta instar papaveris; ferunt duas illarum aqua maceratas mirifice movere urinam. 50



Tertiò *Chichimecapatli*, quæ folia habet longa & tenuia, caulem tenuem & cubitalem, radicem forma & magnitudine nucis, exterius nigram, intus candidam, è qua succus emanat viscosus: est calida & sicca in quarto gradu & vehementis efficaciam, unde cum summo discrimine usurpatur; nam quantitate scrupuli sumta ex aliquo liquore, tam recens, quam sicca (& sicca quidem tutius) purgat supernæ & inferne omnes

omnes humores noxios: barbari tamen ex hac & *Cocozlic*, componunt quosdam trochiscos, quorum dragma una egregie & sine noxa purgare creditur.

Quarto *Mecaxuchitl* herba humi repens, cujus caules sunt teretes, contorti & læves, præterquam ubi pediculi foliorum enascuntur, quæ fert grandia, crassa & quasi rotunda, odorata & acris saporis; fructum fert similem piperi oblongo, qui miscetur potioni *Cacao*, eique addit gratum saporem: corroborat cor & ventriculum; attenuat crassos & lentos humores & insigne est alexipharmacum contra venena; fructuum icones hic adjecimus, quos accepimus in fasculis colligatos, quemadmodum Europæ inferuntur.



Atque hoc est piper illud cujus Monardes meminit cap. LIV. licet in eo fallatur quod altæ cujusdam plantæ fructum credidit: nam revera fructus est oblongus, crassitudine quidem funiculi at dimidii pedis longitudine, ut autem appareat quantum differat à pipere quod proprie longum vocatur, (de quo Garfias ab Horto in Aromaticum Historia cap. XII.) Hic porro illius quoque historiam attexam, (nam planta est Novæ Hispaniæ quoque familiaris) ex authore quem lubenter hic sequor, *Fr. Ximenez* Plantam inquit, quæ fert piper longum, solent Philippinarum Indigenæ appellare *Buyobuyo* & Mexicani (apud quos non minus crescit) *Tlatlanquaye* atque etiam *Acapatli*; habet autem truncos contortos ad modum sarmentorum & in iis folia similia foliis candidi piperis, sed longiora & acutiora; fructum teretem, longumque: folia sunt odorata, sapore acri & mordaci, calida & sicca in tertio gradu & subtilium partium; semen nusquam perfectè maturatur aut eam consequitur perfectiorem ut sementi aptum sit, itaque colligitur quum jam rubescere incipit, & exponitur soli ut maturescat & ita servatur: sic cum atque etiam viride comeditur, neque male nutrit, addit bonum gustum cibis, modo ne igni, postquam admixtum fuerit, admoveatur, nam si ebulliat statim amittit saporem & virtutem.



E fruticum classe tantum hic recensebo *Pinahuiçihuitl*, quem alii vocant *Cochiatl*, qui quatuor palmos ut plurimum altus, caudices habet tenues & spinosos, folia in sex partes divisa & inter se in modum fasciculi conjuncta; radicem sarmentis foetam; flores & fructus ad modum castanearum, principio virides & postea rossos, racematim pendulos. Mirabilis est planta, nam folia vel minimo contactu aut afflatu humano se contrahunt atque marcescunt.

De armentorum & pecudum infinita pene multitudine alibi dicemus, quæ vel eo æstimari potest quod sexaginta millia tergorum taurinorum anno cLo lO LXXXVII una classe ex hisce provinciis in Hispaniam missa fuisse testatur *Acosta*. Inter peregrina animalia, quæ cæteris quoque Americæ utriusque regionibus familiaria sunt, numerantur primò *Ayotochtli*, Hispani vocant *Armadillo*, quod animal alibi plenius describemus. Secundo lacertorū quædam species, *Caltete* vocant & *Thema Cuilcabuga*, haud dissimilis Europæis lacertis, Hispani in hisce provinciis vocant scorpionem est animal tres tertias ulnæ partes longum, cauda prolixa, cruribus brevibus, lingua rubicunda, lata & divisa in duas partes, capite obstipo & monstroso, lente promovet, estque operum corio duro variegato, & multis punctulis distincto candidis & fulvis, annulorum instar corpus ambientibus, & à capite ad caudam & extremitates crurum eleganti ordine descendentibus. Magis aspectu horrendum, quam morfu metuendum, qui licet damnosus sit, non tamen est lethalis; nec facile lædit, nisi prius offensum. Tertio *Crocodyli* qui hic in variis paludibus reperiuntur & ab indigenis appellantur *Acutçpalin*: de quibus author meus *Fr. Ximenez* observat; sub jugulo hujus animalis reperi

periri

periri certas glandulas, similes fabis, muscum redolentes, quæ præfens remedium sunt adversus arduentes febres: ventriculum autem illius exemtum, bene lotum, & siccatum ad solem, & in pulverem redactum, si dragmæ pondere sumatur, mirabiliter movere urinam, lapillos comminuere, èque renibus atque vesica depellere. Eundem illotum, exemptis tantum excrementis, in furno lente tostum donec plene siccatum, in pulverem dein redactum admirabile remedium esse adversus hydropem; si pulvis quantitate cochlearis exhibeatur mane, post prandium, & paulo ante cænam; aut semel aut bis tantum quotidie, prout vires ægri ferre possunt.

Cervorum ingens hic est numerus, quos barbari vocant *Mamaza*; & rupicaprarum quas appellant *Mazatl*; cum variis prænominibus pro colorum & molis diversitate. Unum adhuc animalculum hic addo *Tlaquatzin* (quod & in aliis Americæ regionibus reperitur & varia nomina obtinet) quod idem *Fr. Ximenez* ita describit: Forma est catelli, rostro tenui & prolixo atque depili, capite exiguo, subtilissimis auriculis, oculis minutis & nigris, pilo prolixo, candido rerum in summitate pardo & nigro; cauda rotunda, duos palmos longa, instar anguivum coloris pardi & sub finem nigri, qua totum corpus quum libet suspendet: parit quatuor aut quinque catulos, quos in lucem editos, circumgestat in pelliceo sacco, sub ventre juxta mammam, qui ita à natura factus est, ut non facile apertura illius discernatur; Subit arbores mira velocitate, & infestum est avibus domesticis, instar vulpeculæ, cætera innoxium. Cauda hujus animalculi mirabile remedium est adversus nephritidem, nam dragmæ quantitate ex aqua sumta, mirifice mundat ureteres, expellit arenas & calculos & alia excrementa quæ meatus illos obstipare solent; excitat venerem; generat lac; medetur colicis doloribus; prodest parientibus: denique vix credibile est quantis virtutibus polleat.

Nascitur quoque hic in certis arboribus, quas indigenæ appellant *Quapatli*, atque etiam aliis, quas à similitudine Hispani vocant cerasos, certa species vermium pilosorum & asperorum, qui sunt rubri coloris, crassitie pennæ anserinæ, longitudine duarum unciarum; hos barbari coquunt in aqua donec dissolvantur & pinguedo omnis supernatet, quam despumant & servant ad multos usus; (*Axin* ipsis dicitur) nam illita mitigat quosvis dolores in quacunque parte corporis; relaxat nervos contractos, resolvit humores; & mixta cum terebinthina & tabaci succo utilissima est contra hernias; nam facillime discutit humores collectos è quacunque causa.

Volatilium elegancia, varietas & copia incredibilis: inter aves autem eminere hic creditur *Cozquauhli*, sive ut Mexicani vocant *Aura*, magnitudine gallinæ Ægyptiæ, plumis per totum corpus nigris, excepto collo & partibus pectori vicinis, ubi è nigro subrubescunt, alæ juxta originem sunt nigrae, cætera cinericeæ atque fulvo & purpureo colore mixtae; unguis incurvi; rostrum simile psittacorum, in extremitate rubrum; narium foramina patula, oculi nigri, pupilla fulva, palpebræ rubentes, frons sanguineo colore & multis rugis horrens, quas instar gallopavi contrahit & diducit, cui accedunt crines rari & crispi instar Nigritarum; cauda aquilæ superiori parte nigra, inferiori cinerea: vescitur anguibus, gliribus, lacertis & fimo quoque humano: volat pene continuo, & supra fidem fere nititur contra ventum etiam vehementissimum: Caro illius inutilis, nec usurpatur in cibis. Est & alia ejusdem species, quam Mexicani *Tzopilotl* vocant: utraque autem gravem de se fundit odorem. de aliis alio loco dicitur.

De Gemmis jam pauca addamus: Mexicani vocant *Extetl* gemmam, quæ videtur species Jaspidis herbacei, cum punctulis quibusdam sanguineis; affirmantque alligatam brachio aut collo, quosvis fluxus sanguinis sistere; quare & pulverem illius induunt naribus, quum immoderate sanguinem fundunt.

Reperitur hic & alia species Jaspidis punctulis quibusdam albis variegata, quam vocant *ixtli yotli quetzalitzli* aut smaragdum obscurum, & brachio aut regioni renum alligatam ferunt sedare dolores nephriticos, rumpere lapillos & expellere quævis excrementa, quæ meatus obstruunt. Vide quæ *Monardes* de hac observat.

Est item tertia, colore magis obscuro & sine punctulis, & ponderosior, quam vocant *Tlilayotl* & umbelico admotam colicis doloribus volunt mederi.

Denique

Denique (ne omnes commemorem) gemma quædam nigra, ponderosa, admodum polita, quam adversus uteri morbos admodum utilem faciunt. De qua & c. xxxv. Monardes.

Sed jam ad singularum provinciarum descriptionem transeamus.

MEXICANA PROVINCIA.

CAP. V.

10. Provincia Mexicana sive Archiepiscopatus limites, & partes
sive provincie minores.

ARCHIEPISCOPATUS, & provincia quæ ab urbe principali Mexicana appellatur, continens inter cætera municipia omnia & pagos qui per utrumque lacum sparsa sunt aut ripis illius assident, de quibus mox dicetur: dividitur ad ortum per provinciam *Chalco* ab episcopatu Tlaxcalensi, ad occasum à Mechoacana. Patet in longitudinem inter austrum atque arctum centum & triginta leucas, in latitudinem qua mare australe contingit octodecim tantum, in mediterraneis ubi latissima est, sexaginta. Complectitur autem plures minores provincias, antiquitus quidem dominiis, nunc tantum nominibus distinctas, quarum veluti centrum est metropolis *Mexico*; habens versus aquilonem *Lateotlalpan*, *Meztitlan*, *Xilotepequen* Her. d. 4. & *Panucum*; versus Favonium *Matalzingo* & *Cultepequen*; versus ortum *Tescuco*; versus l. 9. c. 5. Eurum *Chalco*; ad austrum primo *Suchimilco* dein *Tlaluc*: inter Austrum & Africum *Coyxcan* & omnium remotissime *Acapulco*. Vulcanus porro qui inter hanc & Tlaxcalensem provinciam interjacet (ut ab eo particularem descriptionem ordiamur) ab indigenis appellatur *Popocatepec*, distans à *Cholula* secundum Gomaram octo leucas; est mons eminens, cupressis, cedris, pinis, quercubus proceritatis & materie exquiritæ, totus obsitus: Pagi radices illius ab aquilonari plaga contingentes, Tlaxcalensi episcopatu annumerantur, ab australi vero Archiepiscopatu; clivi illius admodum
30 sunt fertiles & tritici atque gossypii feraces: Accolæ loquuntur linguam Mexicanam. *Tepexo* alumine candidissimo & pellucido dives sita est ad radicem montis, à quo planities descendit ad *Chiantlam* gossypio & maizio opulentum pagum: fervet hic cælum, raris pluviis: montes vicini vastas arbores nutriunt, quæ nobilissimum Copal & Animum exsudent, mense Novembri potissimum, quo minimum pluit, leviter vulneratæ. *Chiantla* subest vicinus pagus *Ocotlan*, ubi puteus visitur aquæ salis, è qua indigenæ optimum salem coquunt; his succedunt haud longo intervallo *Contecomapa* & *Gualtepeque* pagi, quorum indigenæ Mistecensium idiomate utuntur, atque hic Jaspis è monte eruitur, elegantissime virens & ad Porphyrium accedens: hi pagi abundant maizio, uti & *Patonala*, cujus incolæ sunt ejusdem dialecti, & *Tecomatla* atque *Pucla*
40 pagi qui ad Episcopatum Guaxacensem pertinent: *Mutezuma* rerum potente, stativa militum hic erant, bello tum flagrante inter ipsum & *Tutepecenses*, qui magnam provinciam incolunt ad mare usque Australe, nunc *Guaxaca* conjunctam. A *Pucla* ad *Castlam* sedecim leucarum iter est, per medios *Amniscorum* fines, qui limitem inter hanc & *Ometopal* dividunt. Duabus citra hanc leucis *Tucuhula* aditur, auri venis dives atque frugibus, verum crebris terræ motibus obnoxia, adeo ut incolæ in humilibus casis (*Bohios* vocant) è cespite aggestis & stramine desuper tectis, vivere cogantur: mari australi ita vicini, ut murmur fluctuum facile possint exaudire. Atque hæc hactenus è Vulcano ad extremos usque Mexicanæ provinciæ & mare Pacificum, Archiepiscopatus provinciæ ad eorum pertinent, & diocesis ab Episcopatu Guaxacensi dividitur.
50

A metropoli vero versus austrum sita sunt municipia *Coantruaguacal*, *Acapistla*, *Gualtepeque* & *Autepeque*, Marchionis Vallensis peculium, loca peramœna, cælo quidem feruido, sed solo crebris torrentibus riguo, agrisque mayzii & gossypii feracissimis: florumque elegantium & benevolentium rosarum perfœcondis: pertingunt autem ad ejusdem Vulcani radices: hic optimum & candore atque soliditate præcellens saccharum tribus quatuorve machinis conficitur. Juxta hæc jacet *Tlapa*

altis collibus & profundis vallibus distincta, abundans frumento & auri venis nobilis, è quibus incolæ multum auri colligunt & tributum loco pendunt. Huic contigua est provincia *Cuexco*, multos habens pagos, & copioso mellis, ceræ, tritici atque gossypii proventu locuples: *Zumpango* vicus sub hac censetur cum ditibus argenti fodinis *Martini de yerbo* & *Gundisalvi Ceresii*: hæc regio pertingit ad *Acapulcum* notissimum maris Australis portum, complectiturque complures insignes pagos qui omnes ad Archiepiscopatum pertinent.

Rursus ab eadem Metropoli Mexico versus *Atlacabayam* & montana tendendo, primò *Alapulcum* deinde *Xalatacum* venit septem ab urbe leuc. ultra hæc *Tlaxco* provincia occurrit & frequentissima Hispanorum colonia, juxta nobilem argenti fodinam, in qua multa servitia jugiter occupantur & argentum devehunt ad urbem: sunt ibidem ferrariæ insignes: hæc provincia spectat ad Africum, ducitque per quamplurimos pagos ad mare australe. Ab *Atlacabaya* autem, priusquam *Xalatacum* attigeris, aliâ viâ ad occasum dividitur, quæ ad vallem *Matalzingo* ducit, cujus principalis pagus appellatur *Toluca*: longe lateque patet hæc vallis, incoliturque à barbaris Otomiis novem ab urbe leuc. pascuis abundans atque armentorum pecudumque gregibus, tam incredibili fœcunditate, ut *Didacus Nonnius de Camargo*, binarum ovium fœturam in valle *Atzompan*, intra decennium, ad quadraginta millium gregem, singulari industria promouisse prodatur ab *Herrera*. Ab hac valle, alia rursus semita versus Africum deflectens, ad *Tuxaltithan* vicum progreditur & duodecim leuc. ulterius ad *Maltepequen* pagum argenti metallis nuper inventis nobilitatum: hæc via porro Africum inter & Zephyronothum tendit ad Mare Australe per multas provincias atque pagos, qui Archiepiscopatu accensentur. *Matalzingo* autem ad occasum proxima est *Txtalavaca* usque ad *Taximaroam* triginta ab urbe leuc. quæ ad Mechoacanensem Episcopatum refertur, illumque dividit ab Archiepiscopatu. *Zacatulam* & *Colymam* petentibus hac iter est per amplissimas Mechoacanæ provincias. Rursus à *Matalzingo* paulum ad Corum deflectentibus, *Xiquipilco* & *Chiapa* pagi fiunt obvii, quorum incolæ mayzio victitant & Maguey.

A Metropoli Mexicana recta ad Corum proficiscentibus, *Escapuzalco* & *Tenyauca* occurrunt, & quatuor ab his leucarum intervallo *Guatitlan*, & statim *Atexepit*: Huic contigua est *Xilotepeque* provincia Otomiis habitata; gens est pusilli animi, tardissimique ingenii atque adeo pravi, quæque ob sermonis inconcinnam brevitate & asperitatem, religione difficulter admodum potest imbui: laborum alioquin tolerantia reliquas Novæ Hispaniæ nationes facile superans: Hæc provincia dividitur à Mechoacanensium pagis versus Corum, incoliturque multis municipiis & pagis & fruitur maximam partem cœlo admodum temperato. *Xilotepeque* ad Arctum adjacet *Tula*, insignis pagus, cujus incolæ Otomitica lingua utuntur, agrosque gnaviter colunt.

Porro à Metropoli Mexicana versus arctum progredientibus primum obvia fit *Tepeaquilla* atque inde *Ecatepeque* & *Atotobilco*, *Tulanzingo* & *Mextitlan* provincia, optimi aluminis ferax, cœlo temperato atque salubri, solo multis piscosis amnis irriguo: incolis industriis, in texendo telas gossypinas: in hac provincia ferri metalla à servitiis excoluntur. Ex hac in *Guaxatecarum* provinciam transitur, in qua plures sunt pagi ad flumen Panucum & S. Stephani oppidum pertingentes; indigenæ utuntur idiomate peculiari & à Mexicano multum diverso.

Ab urbe autem versus aquilonem, *Otumba* & *Tepeapulco* adeuntur, nobiles pagi, solo frumenti atque graminis æque feraci: hisce proxima est *Guaxinango* provincia, argenti venis locuples: sequitur deinde *Papautla* atque *Tupax* provinciæ, quam *Tupax* vel *Tuxpa* fluvius perlabitur, in Fretum Mexicanum egrediens, è regione Insulæ quam vocant *de Lobos* à lupis marinis; cœlo admodum insalubri ob nimium æstus, & orarum maritarum supinam declivitate.

Ad ortum urbis *Texcuco* sita est & inde *Gueytulpa* atque *Zacatepe*; à qua paululum ad boream deflectentibus montes ascenduntur quæ inter *Tuxpa* & *Sant Petri Paulique* amnium alveos medii discurrent. Atque hæc tenus Archiepiscopatus ad orientem pertinet & hisce limitibus à Tlaxcalensi Episcopatu separatur.

Viâ denique quæ ab urbe ad Veram crucem ducit, *Ategotepaque*, quæ Episcopatu

patui Tlaxcalensi attributa est & à barbaris Otomiis incolitur, limes provinciæ Mexicanæ clauditur. In Mexicana provincia seu Archiepiscopatu, varia metalla numerantur cum suis municipiis, quæ distant à Metropoli; *Pachuca* leuc. quatuordecim: *Tasco* duo supra viginti; *Izquiquilpo* plumbi fodinæ itidem duo supra viginti: *Talpayana* viginti & quatuor: *Temozcaltepeque* octodecim: *Cultepeque* viginti & duo: *Zacualpa* viginti: *Zumpango* quadraginta: *Guanaxuato* sexaginta: *Comania* septem supra sexaginta: *Achiacica* octodecim ab Angelorum civitate. *Gautla* denique, *Zumatlan* & *Sant Luis de la Paz*, quorum distantia ab urbe non produntur. Atque in hisce fodinis quæ omnes, una excepta, argenti sunt, supra quatuor millia Hispanorum, præter servitia, industriam suam atque operam dicuntur exercere.

C A P. VI.

Lacus Mexicani & Metropoleos descriptio.

PRINCIPALIS non modo Archiepiscopatus, sed & totius Novæ Hispaniæ atque adeo Americæ est *Mexico*, olim indigenis *Tenoxitlan* vel *Tenuchtitlan* (quod etiam aliter ab aliis effertur) aut etiam *Temistatan* dicta: distat ab Æquatore viginti gradus & aliquot scrupula versus Arctum: à Meridiano Toletano secundum ductum lineæ Æquinoctialis gradus tres supra centum: & secundum lineam
 20 directam leucas mille, septingentas, quadraginta; ita ut differentia à meridiano Toleti sit horarum octo, ut à curiosis invenio observatum: Sita autem est in medio Lacus, qui quinque circiter leucas in latitudinem, ubi latissimus est, octo aut paulo plures in longitudinem porrigitur: in hunc à jugis montium qui circumquaque imminet magna copia sese præcipitant rivi, sed aqua fundi nitrosi vitio saluginem contrahit, ita ut turbida, amara, potuique inidonea sit: huic alius lacus exiguo intervallo conjungitur, dulcis, potarique pulcherrimus & minorum pisciculorum ferax, magnitudine à superiori non multum discrepans; Hic perpetuo in falsum lacum influit & saluginem illius corrigit: Uterque lacus supra triginta leucas ambitu complectitur, & præter hanc urbem, plus quam quinquaginta municipiis atque
 30 pagis, partim incolitur, partim accolitur; quorum quædam quinque millia domiciliorum jam olim habuerunt, quædam decem; Tezcucoco denique ipsi urbi magnitudine quondam æmula fuisse creditur.

Nutrit hic Lacus (inquit Fr. Ximenez) pisces glabro corio tectos, quadrupedes instar lacerti, palmum aut circiter longos & unciam crassos, sub ventre notulis quibusdam variegatos à medio corpore ad caudam sensim tenuiores fiunt; cauda ipsis est longa & sub finem exilis, pedes, quibus natat, divisi sunt in quatuor digitos instar ranarum, caput grandius quam pro corporis mole, nigro rictu, qui fere semper illis hiat: quodque mirabile uterum habet fœmineo similem, patiturque menses suos uti sæpe fuit observatum; edules sunt atque anguillarum similes condiunturque
 40 pere & Chille: barbari vocant *Axolotl*, Hispani *Inguete de Agua*. Hauritur ex eodem Lacu, certa species luti, quam ad focum cogunt in orbem, ubi candida evadit instar nivis, unde à barbaris vocatur *Tizatlalli* sive terra candida; simillima est cerussæ, frigida & sicca, astringendi facultate pollens sine ulla mordacitate; eadem fere præstat quæ cerussa. Plurimum autem optimi salis (*Iztatl* vocant Mexicani) ad ripas prioris Lacus colligitur, ditissimo in hisce regionibus commercio: Nec minor copia optimi & absolutissimi nitri Mexicanis *Tequixquitl*. Innumeris quoque cymbis unlignis hic navigatur, quas Mexicani sua lingua appellant *Alcales*.

Urbs ipsa in medio falsi lacus (ut *Cortesius* prodidit) ædificata, tribus stratis aggeribus aditur, quorum unus ab occasu descendit mediam leucam longus, alter ab
 50 aquilone unam leucam, tertius denique ab Austro duas, per quem Cortesius olim hanc est aggressus & cepit: ab ortu tantum cymbis aditur. Non tam multis canalibus hodie pervium est oppidum, atque olim fuit, licet calles angusti etiamnum sint, & recti omnes; multæ in illo sunt areæ mercatu quotidiano frequentes, singulari civium compendio; & præter has tria fora præcipua, quæ magno accolarum concursu certis hebdomadæ diebus frequentantur, barbari vocant illa *Tiangustli*, Hispani *Tiangues*: Eorum unum antiquo nomine *Tlatolulco* dicitur, immane spatium quadrato

altis collibus & profundis vallibus distincta, abundans frumento & auri venis nobilis, è quibus incolæ multum auri colligunt & tributum loco pendunt. Huic contigua est provincia *Cuexco*, multos habens pagos, & copioso mellis, ceræ, tritici atque gossypii proventu locuples: *Zumpango* vicus sub hac censetur cum ditibus argenti fodinis *Martini de yerbo* & *Gundisalvi Ceresii*: hæc regio pertingit ad *Acapulcum* notissimum maris Australis portum, complectiturque complures insignes pagos qui omnes ad Archiepiscopatum pertinent.

Rursus ab eadem Metropoli Mexico versus *Atlacabayam* & montana tendendo, primò *Alapulcum* deinde *Xalatacum* venit septem ab urbe leuc. ultra hæc *Tlaxco* provincia occurrit & frequentissima Hispanorum colonia, juxta nobilem argenti 10 fodinam, in qua multa servitia jugiter occupantur & argentum devehunt ad urbem: sunt ibidem ferrariæ insignes: hæc provincia spectat ad Africum, ducitque per quamplurimos pagos ad mare australe. Ab *Atlacabaya* autem, priusquam *Xalatacum* attigeris, aliâ viâ ad occasum dividitur, quæ ad vallem *Matalzingo* ducit, cujus principalis pagus appellatur *Toluca*: longe lateque patet hæc vallis, incoliturque à barbaris Otomiis novem ab urbe leuc. pascuis abundans atque armentorum pecudumque gregibus, tam incredibili fœcunditate, ut *Didacus Nonnius de Camargo*, binarum ovium fœturam in valle *Atzompan*, intra decennium, ad quadraginta millium gregem, singulari industria promouisse prodatur ab *Herrera*. Ab hac valle, alia rursus semita versus Africum deflectens, ad *Tuxaltithan* vicum progreditur & duode- 20 cim leuc. ulterius ad *Maltepequen* pagum argenti metallis nuper inventis nobilitatum: hæc via porro Africum inter & Zephyronothum tendit ad Mare Australe per multas provincias atque pagos, qui Archiepiscopatui accensentur. *Matalzingo* autem ad occasum proxima est *Xtalavaca* usque ad *Taximaroam* triginta ab urbe leuc. quæ ad Mechoacanensem Episcopatum refertur, illumque dividit ab Archiepiscopatu. *Zacatulam* & *Colymam* petentibus hac iter est per amplissimas Mechoacanæ provincias. Rursus à *Matalzingo* paulum ad Corum deflectentibus, *Xiquipilco* & *Chiapa* pagi fiunt obvii, quorum incolæ mayzio victitant & Maguey.

A Metropoli Mexicana recta ad Corum proficiscentibus, *Escapuzalco* & *Tenyauca* 30 occurrunt, & quatuor ab his leucarum intervallo *Guatitlan*, & statim *Atexepit*: Huic contigua est *Xilotepeque* provincia Otomiis habitata; gens est pusilli animi, tardissimique ingenii atque adeo pravi, quæque ob sermonis inconcinnam breviter & asperitatem, religione difficulter admodum potest imbui: laborum alioquin tolerantia reliquas Novæ Hispaniæ nationes facile superans: Hæc provincia dividitur à Mechoacanensium pagis versus Corum, incoliturque multis municipiis & pagis & fruitur maximam partem cœlo admodum temperato. *Xilotepeque* ad Arctum adjacet *Tula*, insignis pagus, cujus incolæ Otomitica lingua utuntur, agrosque gnaviter colunt.

Porro à Metropoli Mexicana versus arctum progredientibus primum obviam fit *Tepeaquilla* atque inde *Ecatepeque* & *Atotobilco*, *Tulanzingo* & *Meztitlan* provincia, 40 optimi aluminis ferax, cœlo temperato atque salubri, solo multis piscosis amnis irriguo: incolis industriis, in texendo telas gossypinas: in hac provincia ferri metalla à servitiis excoluntur. Ex hac in *Guaxatecarum* provinciam transitur, in qua plures sunt pagi ad flumen Panucum & S. Stephani oppidum pertingentes; indigenæ utuntur idiomate peculiari & à Mexicano multum diverso.

Ab urbe autem versus aquilonem, *Otumba* & *Tepeapulco* adeuntur, nobiles pagi, solo frumenti atque graminis æque feraci: hisce proxima est *Guaxinango* provincia, argenti venis locuples: sequitur deinde *Papautla* atque *Tupax* provinciæ, quam *Tupax* vel *Tuxpa* fluvius perlabitur, in Fretum Mexicanum egrediens, è regione Insulæ quam vocant *de Lobos* à lupis marinis; cœlo admodum insalubri ob nimium æstus, 50 & orarum maritimarum supinam declivitatem.

Ad ortum urbis *Texcuco* sita est & inde *Gueytulpa* atque *Zacatepe*; à qua paululum ad boream deflectentibus montes ascenduntur quæ inter *Tuxpa* & *Sant Petri Paulique* amnium alveos medii discurrent. Atque hæcenus Archiepiscopatus ad orientem pertinet & hisce limitibus à Tlaxcalensi Episcopatu separatur.

Viâ denique quæ ab urbe ad Veram crucem ducit, *Ategotepaque*, quæ Episcopatu

patui Tlaxcalensi attributa est & à barbaris Otomiis incolitur, limes provinciæ Mexicanæ clauditur. In Mexicana provincia seu Archiepiscopatu, varia metalla numerantur cum suis municipiis, quæ distant à Metropoli; *Puchuca* leuc. quatuordecim: *Tasco* duo supra viginti; *Yzquiquilpo* plumbi fodinæ itidem duo supra viginti: *Talpayana* viginti & quatuor: *Temozcaltepeque* octodecim: *Cultepeque* viginti & duo: *Zacualpa* viginti: *Zumpango* quadraginta: *Guanaxuato* sexaginta: *Comania* septem supra sexaginta: *Achiacica* octodecim ab Angelorum civitate. *Gautla* denique, *Zumatlan* & *Sant Luis de la Paz*, quorum distantia ab urbe non produntur. Atque in hisce fodinis quæ omnes, una excepta, argenti sunt, supra quatuor millia Hispanorum, præter servitia, industriam suam atque operam dicuntur exercere.

C A P. VI.

Lacus Mexicani & Metropoleos descriptio.

PRINCIPALIS non modo Archiepiscopatus, sed & totius Novæ Hispaniæ atque adeo Americæ est *Mexico*, olim indigenis *Tenoxitlan* vel *Tenuchtitlan* (quod etiam aliter ab aliis effertur) aut etiam *Temistatan* dicta: distat ab Æquatore viginti gradus & aliquot scrupula versus Arctum: à Meridiano Toletano secundum ductum lineæ Æquinoctialis gradus tres supra centum: & secundum lineam directam leucas mille, septingentas, quadraginta; ita ut differentia à meridiano Toleti sit horarum octo, ut à curiosis invenio observatum: Sita autem est in medio Lacus; qui quinque circiter leucas in latitudinem, ubi latissimus est, octo aut paulo plures in longitudinem porrigitur: in hunc à jugis montium qui circumquaque imminet magna copia sese præcipitant rivi, sed aqua fundi nitrosi vitio falsuginem contrahit, ita ut turbida, amara, potuique inidonea sit: huic alius lacus exiguo intervallo conjungitur, dulcis, potarique pulcherrimus & minorum pisciculorum ferax, magnitudine à superiori non multum discrepans; Hic perpetuo in falsum lacum influit & falsuginem illius corrigit: Uterque lacus supra triginta leucas ambitu complectitur, & præter hanc urbem, plus quam quinquaginta municipiis atque pagis, partim incolitur, partim accolitur; quorum quædam quinque millia domiciliorum jam olim habuerunt, quædam decem; Tezcucoco denique ipsi urbi magnitudine quondam æmula fuisse creditur.

Nutrit hic Lacus (inquit Fr. Ximenez) pisces glabro corio tectos, quadrupedes instar lacerti, palmum aut circiter longos & unciam crassos, sub ventre notulis quibusdam variegatos à medio corpore ad caudam sensim tenuiores fiunt; cauda ipsis est longa & sub finem exilis, pedes, quibus natat, divisi sunt in quatuor digitos instar ranarum, caput grandius quam pro corporis mole, nigro rictu, qui fere semper illis hiat: quodque mirabile uterum habet fœmineo similem, patiturque menses suos uti sæpe fuit observatum; edules sunt atque anguillarum similes condiunturque pipere & Chille: barbari vocant *Axolotl*, Hispani *Inguete de Agua*. Hauritur ex eodem Lacu, certa species luti, quam ad focum cogunt in orbes, ubi candida evadit instar nivis, unde à barbaris vocatur *Tizatlalli* sive terra candida; simillima est cerussæ, frigida & sicca, astringendi facultate pollens sine ulla mordacitate; eadem fere præstat quæ cerussa. Plurimum autem optimi salis (*Ixtatl* vocant Mexicani) ad ripas prioris Lacus colligitur, ditissimo in hisce regionibus commercio: Nec minor copia optimi & absolutissimi nitri Mexicanis *Tequixquitl*. Innumeris quoque cymbis uniligneis hic navigatur, quas Mexicani sua lingua appellant *Alcales*.

Urbs ipsa in medio falsi lacus (ut *Cortesius* prodidit) ædificata, tribus stratis aggeribus aditur, quorum unus ab occasu descendit mediam leucam longus, alter ab aquilone unam leucam, tertius denique ab Austro duas, per quem *Cortesius* olim hanc est aggressus & cepit: ab ortu tantum cymbis aditur. Non tam multis canalibus hodie pervium est oppidum, atque olim fuit, licet calles angusti etiamnum sint, & recti omnes; multæ in illo sunt areæ mercatu quotidiano frequentes, singulari civium compendio; & præter has tria fora præcipua, quæ magno accolarum concursu certis hebdomadæ diebus frequentantur, barbari vocant illa *Tiangustli*, Hispani *Tiangues*: Eorum unum antiquo nomine *Tlatolulco* dicitur, immane spatium quadrato

ambitu complexum, & à tribus lateribus porticibus & tentoriis instructum, in medio illius visitur hodie macellum & fons eleganti opere ab Hispanis substructus: alterum & ipsum satis amplum *S. Ioannis* forum hodie appellatur: Tertium denique & principale *S. Hippolyti* (quem urbis patronum fecerunt) ad quod incredibilis hominum multitudo, diebus Mercurii & Jovis confluit; unicuique mercium generi suus locus designatus, atque adeo unicuique institori: merces quæ ad hoc forum comportantur, recensere longum esset, nihil enim è terra, ligno, auro argentoque fingitur, nihil in toto hoc tractu colligitur, aut aliunde importatur, quod hic desideretur. De urbis vero frequentia, qualis ante Hispanorum adventum fuisse traditur, nihil jam dicere attinet: hodie supra quatuor Hispanorum & triginta barbarorum millia 10 illam feruntur incolere, exiguus numerus prout olim fuit. In quatuor partes sive regiones civitas jam olim divisa fuerat, quæ hodieq; mutatis tantum nominibus durant, quarum una *S. Ioannis*, altera *S. Mariæ* rotundæ, tertia *S. Pauli & Sebastiani*, quarta vero & maxima (olim *Tlatelulco*) hodie *S. Jacobi* nomine insignitur. Hic Tribunal regium situm est, cui Vice-Rex præsidet: hic palatium, & cæterorum ministrorum regionum sedes, denique & Archiepiscopi Cathedra, cujus suffraganei sunt Episcopi Tlaxcalæ, Guaxacæ, Mechoacanæ, Novæ Galæciæ, Chiapæ, Yucatanæ, Guatemalæ, Veræ Pacis & Philippinarum Insularum. Cathedrale templum Cortesius inchoaverat, Præses autem Sebastianus Ramirez perfecit. Sunt præterea in hac urbe 20 diversorum monachorum monasteria, Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, de la mercede, Discalceatorum aliorumque: itemque decem fœminarum, quas vocant Nonnas, diversorum ordinum. Item Academia illustis, in qua liberales artes, variæque scientiæ è Cathedra docentur; varia Collegia, & Nosocomia: Denique supra tria Hispanorum millia habitant in vicinis Indorum pagis (quorum ducenti quinquaginta in hac provincia numerantur) in quibus uti & in tribus millibus villis seu prædiis (*Estancias* vocant Hispani) supra quingenta millia Indorum recensentur, qui tributum pendunt; præter centum quinquaginta monasteria diversorum religiosorum, & Jesuitarum aliquot Domos. In ipsa quoque urbe jam à pluribus annis Inquisitio Hispanica domicilium 30 fixit.

Ad cœli temperiem quod attinet, eisdem hic temporibus pluit, quibus in reliquis Novæ Hispaniæ regionibus, & Aquilone flante plerumque vesperi, rarò matutino tempore, interdiu maxime serenat. Vespera plerumque, versus Aquilonem supra jugum montis *Tepeaquilla*, qui leucam tantum unam ab urbe distat, se colligunt nubi- 40 la & brevi momento sese urbi cum valido vento atque turbine superfundunt; neque ullum certius nimborum præsagium, quam jugum hoc nubibus operiri. Tempore autem pluviarum, cœlum in urbe maxime est salubre, mane quidem sudum, sub vesperam humidius, noctu autem serenum & stellis illustre. Mensibus vero Novembri, Decembri, Januario, Febuario & Martio quibus rarissime admodum pluit, & solum arefcit, singulis pene vesperis turbo concitatur, qui nitrosam pulverem tam valide 40 excitat atque dispargit ut nebulæ instar feratur & conspectum pene adimat, sub noctem autem cessat, ut quoque pluvia suis temporibus: Insalubris autem est hic pulvis & quo aridior & magis noxius, quum nares atque ora hominum impleat & graves dolores in hypochondriis excitet, & nonnumquam exitium adferat. Hi turbines pulverulenti non modo hic sed eò in tota nova Hispania per familiares sunt, sed alibi haud ita noxii: itaque hisce mensibus multi urbem vitant, alii ædes suas ante vesperam arctissime 40 occludunt, ut pestem hanc excludant, aut si vespertina aura frui lubeat, mature antequam pulvis hic concitetur, in suburbanas villas aut vicina prædia secedunt.

Anno cDcLxxix ingens nobilissimam hanc civitatem oppressit calamitas, mense enim Octobri, perruptis inopinato aggeribus, tantum aquarum diluvium sese 50 infudit in lacum ut totam civitatem absorberet, undæque etiam editissima ædificia, & imprimis Vice-regis palatium penitus operirent, multa incolarum millia aquis hausta, suppellex omnis amissa aut corrupta, qui cymbis evaserant ad vicina municipia pene nudi se subdixerunt; utrum postilla aliquod remedium tanto malo inventum fuerit, mihi non constat, prudentiores de civitate actum iudicabant; Vice-Regis & aliorum ministrorum avaritiam hujus causam fuisse scribunt; qui argen- cum

tum aggeribus fartis tectis conservandis à Rege destinatum, nefario peculatu, interverterint.

C A P. VII.

Loca maxime illustria circa Lacum & urbem Mexicanam, Chulula, Tezcucuo, Quiltlavaca, Tztacpalapa, aliaque.

10 **I**NTER famosiora loca quæ in Ambitu & ipso Lacu olim visebantur, facile primas tenebat *Chulula*, magna olim civitas, & ipsi pene Metropoli æqualis; præcipuumque Novæ Hispaniæ Dominium post rempublicam Tlaxcalensem, singulare superstitionum gentilium sacrarium & longe antiquissimum. Incolis olim frequentissima, in planicie substructa erat, fere viginti millibus domiciliis constans (præter innumeras in vicinia villas, hac illac sparsas) & plurimis templis decorata cum suis turribus, quas dies anni numero æquasse ferunt, adeo ut memoriæ proditum fuerit, sex millia infantum utriusque sexus, ad aras cæsa & dæmonibus immolata fuisse singulis annis. Præfectum habuit populi suffragiis designatum, qui cum sex optimatibus atque sacerdotibus omnia pacis bellique munia, domi forisque administrabat, nihilq; aggrediebatur, nisi de quo ante fuisset deliberatum & numina religiose consulta: 20 unde hæc civitas omnium deorum domicilium apud reliquas harum regionum nationes audiebat. Eadem & celeberrimum erat emporium variarum mercium, quas incolæ singulari industria parabant. Ager enim illius cochinillæ est feracissimus, solumque & fata læte producit, & pabulum armentis atque pecoribus abunde sufficit. Indigenæ tam mares quam fœminæ, membris bene compositis & moribus urbanis beneque cultis erant, & industrii mercatores: Vulgus tunicis vestiebatur è *Nequen* (panni genus est è fibris atq; filamentis foliorum *Henequen* contextum) opulentiores autem togis gossypinis, quibus fimbrias addebant, variis plumis aut cuniculorum pellibus eleganter prætextas.

30 Secundum locum merebatur *Tezcucuo*, vastum municipium, & quondam Hispali duplo majus, domiciliorum elegantia & semitarum opportunitate spectabile, in planitie itidem ædificatum ad oram Lacus salis; nihilo tamen secius dulcibus & potabilibus aquis abundans, quas per varios aquæ ductus de vicinis montibus derivarant. Distat ab urbe sex leucarum itinere secundum oram Lacus, ut Cortesius tradit.

Quiltlavaca tota in aquis substructa erat, instar Venetiarum, unde Hispani illam Venezuelam appellarunt; salubris locus & piscatu dives: aditur per semitam silicibus stratam, quæ viginti palmos lata, & pene dimidiam leucam longa erat: olim fere à duobus millibus familiarum incolebatur.

40 *Tztacpalapa* circiter decem millium domiciliorum municipium, dimidia sui parte in Lacu salso, reliqua ad ripam illius constructum; habens plurima stagna dulcium aquarum, in quibus varii pisces nutriuntur: & fontem ad viam quæ in Metropolim ducit, arboribus amœne septum; duas quidem leucas ab urbe, sex vero abest à *Tezcucuo*; ad urbem iter pertinet per semitam satis latam, silicibus stratam, adeoque directam, ut portam Mexicanam statim, post levem initio sui flexum, exhibeat.

50 Ad hujus latus, *Mexicaltzingo*, quatuor millium domiciliorum pagus in ipso Lacu erat substructus; atque *Cnyocan* sex millium domorum ad ejusdem ripam, loco salubri & in agro imprimis fertili atque amœno: *Huicilopucho* denique quingentarum ædium pagus. Tria hæc loca excelsis turribus, multisque templis erant ornata, quæ ita resplendebant, ut eminus argentea viderentur, quæ nunc fere in monasteria ab Hispanis sunt conversa. Salis hic ingens copia reperitur, non tamen aut candidi aut grati in cibus, sed ad muriam tantummodo idonei; coquitur ex ipsa terra, quæ in tota hac vicinia admodum salsa & nitrosa deprehenditur: opulento mercimonio, quia ad varias partes transportatur.

Guatitlan distat à Mexico leucas quatuor: *Teniauca* duas: *Ezcapuzalco* unam, secundum ripam Lacus: *Tacuba* ipsi proxima est.

Suchimilco insignis est locus, in ipso Lacu dulci; quatuor ab Vrbe leuc. versus Austrum, binas autem à *Cnyocan*.

Queretaro provinciæ *Xilotepec* (de qua supra) pagus, fontem habet calidissimum, cuius aquæ quum primum erumpunt, ita fervent, ut quæcunque attigerint, statim adurant; tepediores vero factæ pecus mirum in modum faginant. In eadem provincia & alter fons celebratur, qui quatuor continuis annis scaturit, deinde quatuor sequentibus deficit, & rursus ad priorem modum erumpit: &, quod mirabile, pluviis diebus, parcius, quum sudum est tempus & aridum, copiosius exuberat. Quamplurima sunt in hac provincia argenti metalla; multasque fert herbas singularis in medicina usus. Notandum denique inter *Queretarum* & *S. Ioannis* pagum, in campis, qui haud supra novem leucas in longitudinem patent & binas tantum in latitudinem, supra centum millia armentorum, ducenta millia pecudum, & decem millia jumentorum pasci; tanta hic est pabuli copia atque præstantia.

C A P. VIII.

Acapulco oppidum & portus ad mare Australe.

ARCHIEPISCOPATUS Mexicanus portus suos habet ad utrumque Mare, celeberrimum autem ad Meridionale, qui à provinciæ nomine vulgo *Acapulco* appellatur: Septemdecim gradus & aliquot scrupul. ab Æquatore distans versus Arctum. Sex leucarum intervallo ab amne vulgo *de los Topes*, qui Archiepiscopatum à Tlaxcalensi Episcopatu determinat ad occidentem, octo autem à fluvio *Cisala* & duodecim à *Mixla fluv.* versus ortum.

Portus hic vasto ostio & supra leucam lato sese aperit ad mare Meridionale sive Pacificum, directe adversus meridiem, intus autem duobus veluti brachiis se continenti insinuat, quorum unum ad orientem se convertit, adversus incerta omnium ventorum egregie præmunitum, ubi naves in variis recessibus & in anchoris constitui, & in siccum subduci, quum res postulat, commodissime possunt: alterum vero primò recta ad Arctum tendit, deinde ad occidentem se convertens, oppidum alluit atque arcem, onerariis navibus accipiendis peridoneum: ita ut hic portus inter securissimos & capacissimos facile primum locum jure suo mereatur. Occidentiori ostii angulo, objacet exigua & aspera insula, continenti pene annexa.

Oppidum haud ita magnum est, distans à Metropoli leucas octuaginta (uti à *Petro Texeira* in Itinerario fuit annotatum) difficili & periculoso itinere, ob montium altitudinem petrarumque aspera, frequentia item flumina, densissima nemora, incolarum denique triste & humile ingenium, maxime autem ob eorundem infrequentiam: Tria enim flumina satis ampla in hoc itinere trajicienda: quorum primum quod vocant *del Papagajo* pontone trajicitur: Alterum, Hispanis *de las Balsas*, rapidissime decurrens & Tago nequaquam minus, quod ratibus ingentium cannarum inter se junctis & cucurbitis insuper additis, barbari natando superare consueverunt: Tertium *S. Francisci* licet ingens quoque, vado transitur. Viatores toto hoc itinere mirum in modum infestantur à culicibus, *Mosquitos* vocant Hispani; quorum morsus adeo sunt virulenti, ut homines nonnumquam enecent. Antequam autem ad Urbem perveniatur, Marchionatus Vallensis, qui primo harum regionum debellatori Fernando Cortesio titulum dedit, est transeundus. Hactenus è *Texeira*. Anglus autem qui anno 1610 in hac iter egit, testatur se ab *Acapulco* per inculta triginta leucarum spatia, primum venisse *Zumpangum* Indorum pagum (de quo supra) dein *Cuernavacam* Marchionis Vallensis municipium haud incelebre, distans à Mexico tredecim leucas.

Porro Mexicani mercatores in hoc portu *Acapulcensi*, quatuor tenent onerarias majores, quibus commercia exercent cum Philippinis insulis & Sinarum regno, quod supra duo millia leucarum ab hoc portu abesse tradunt: Solvunt plerumque binæ onerariæ mercibus Europæis onustæ mense Martio, & redeunt Junio insequentis anni: tam lucroso commercio, ut vulgo credatur, peculium intra duos annos decuplo augeri posse: vehunt autem hæ naves quando revertuntur ditissimam gazam.

Spilbergius noster cum classe sua anno 1615 hunc portum ingressus, quum Hispanos non inopinantes quidem, sed tamen imparatos opprimere & oppidum capere atque diripere potuisset, inconsulte, ut à multis creditur, & non exploratis

ploratis ante hostium viribus atque animis, satius habuit cum Præfecto pacisci & comætu in classem impetrato nihil hostile moliri. Narrat in suo diario, in Arce quæ portui imminet, tum fuisse tormenta ænea septemdecim, præfidiarios quadringentos, præter nobiles quamplures, qui undique accurrerant, & varios belli apparatus. Quum autem Classis Nassavica anno 1610 cxxiv in hoc portu in anchoris staret, à nostris observatum, Arcem quæ haud procul ab oppido, cornu quoddam terræ occupat, novis operibus nuper fuisse communitam, additis quatuor propugnaculis, & lapideo muro undiquaque firmatam.

10 Cæterum oppidum plerumque annonæ penuria laborare dicitur, longe enim petendam esse & quum advecta fuerit, ab iis qui quotannis in occidentem navigant, exhauriri, ita ut hic locus præter portum nihil memorabile habeat.

C A P. IX.

Digressio de antiquis Mexicanorum institutis.

NON abs re facturus videor, si hic de antiquis Mexicanorum moribus, Republicæ forma, Regum origine atque successione, rebus denique gestis pauca commemoravero: siquidem hæc primùm natio nobis in hac Americæ descriptione occurrit, quæ aliquam politeiæ formam habuerit.

20 Mexicanos (quod omnis Republicæ fundamentum est) singularem inventutis instituendæ rationem habuisse produnt Hispani, idemque è libro barbaris & rudibus picturis expresso apparet, quem Vir Doctissimus, optimèque de hisce studiis meritus *Samuel Purchasius* Anglus nuperrime in lucem protulit in laborioso suo opere. Quarto à nativitate die, obstetrix, infantem nudum in aream domicilii juncis stratam efferebat, masculum quidem cum iis instrumentis, quibus pater victum quærere erat solitus; sæmellam autem cum fuso, scopis & similibus utensilibus; in medio vasculum aqua plenum positum erat, in quo illum abluebat, è regione tres pueri confidebant, quibus pulmentum è maizio & leguminibus (quod *Ixicue* appellabant) apponebatur, qui saturati, puero jam ablato nomen imponebant. Dein post dies viginti

30 Parentes offerebant puerum, aut Sacerdoti in Templo, quod *Calmacac* appellabant, sacris ordinibus ubi ætatem quatuordecim aut quindecim annorum attigisset, initiandum: aut militiæ Præfectis atque magistris, quos *Teauch* aut *Telpuchtato* dicebant, militaribus disciplinis instituendum: Domi interim dum adolesceret, pro ratione ætatis & victum præbebant, triennibus quidem dimidium panem, quadrimis integrum, à sexto vero ad decimumtertium ætatis annum, sesqui alterum, deinceps binos: & pro suo modulo aliquid agere docebant, uti quinto anno levia onera ferre, sexto pueros quidem forum verrere & spicilegium facere, puellas fufum tractare & ita porro: denique negligentes aut contumaces primo minis terrebant, spinis *Magney* ob oculos positris, deinde & castigabant, spinis eisdem illos pungendo, aut bacillis

40 cædendo, aut *Axi* suffimigio naribus subjecto misere torquendo.

Connubia legitima hoc ordine celebrabant: Pronuba, quam *Amantesam* vocabant, sponsam tergo gestans, quatuor fœminis comitantibus quæ pineis tædis prælucere, illam post Solis occasum, ad limen domus in qua parentes sponsi manebant, sistebat, qui acceptam in atrium introducebant, & super stoream humi stratam è regione sponsi collocabant, & utriusque fimbria in nodum constricta copulabant, duobus senioribus totidemque matronis vel uti testibus utrimque assidentibus; tum Copal diis incendebatur, cænabant deinceps conjugati, & mox reliqui vocati, cænaque absoluta vinculum solvebatur & leges connubiales dictabantur. Addit *Gomara* primo quatruiduo non convenire, sed radere se & sanguinem elicere solitos, quem diis connubialibus offerrent, quarta demum nocte, thorum conjugalem à Sacerdotibus sterni & quibusdam ceremoniis consecrari, à conjugibus autem suffumigari atque ita demum conjuges misceri: postero denique mane stratam, vestes & imprimis sanguinem quem eliciissent diis in Templo offerre, ibidemque à sacerdotibus benedici & aqua munda aspergi, quater quidem in honorem *Tlaloc* quem Neptuno, quaterque ad reverentiam *Ometochtli*, quem Baccho Hispani respondisse tradunt.

Qui autem sacris ordinibus initiabantur, *Tlamacasque* dicebantur, & primum solum Templi verrere, aut ligna bajulare, aut alia ad idolorum cultum necessaria senioribus subvehere cogebantur, negligentioresque aut contumaces gravissimis tormentis castigabantur: atque ita sensim ad honestiora ministeria promovebantur. Militariibus verò disciplinis imbuendi *Tequinarum*, id est, speculatorum aut virorum bello clarorum arma bajulabant, iisque alia servitia præstabant, donec & ipsi capto aut occiso hoste aliquo in militares ordines afficerentur.

Regimen politicum Mexicanorum antiquis temporibus Aristocraticum fuit, deinde ad unum delatum, qui non successione aut hæreditate, sed libera electione, primum à toto populo, deinde ab optimatibus afficerebatur: nam à temporibus *Izcoatl* 10 quatuor Electores è nobilitate Mexicana & duo focii Reges *Tezcucuo* atque *Tacuba* Regem Mexicanum dicuntur elegisse. Ut plurimum autem juniores eligebant, uti bellicis laboribus ferendis aptiores. Singulare quoque subditorum in Principes obsequium semper enituit. Regum primum familia modica, cum imperio atque opibus, luxus & magnificentia crevit, maxime sub Mutezuma primo. Post Regem dignitate & autoritate eminebant Electores, qui plerumque è germanis aut consanguineis Regis allegebantur, eos *Tlacohcalatl*, id est, Principes spiculatorum vocabant. His dignatione proximi erant *Tlacatecatl*, id est, hominum mactatores. Tertium locum obtinebant *Ezuahuacatl*, id est, sanguinis profusores: quartum denique *Tlillancalqui*, id est, Domini casæ nigræ, à nigro unguento quibus Sacerdotes se illinere consueve- 20 rant. Ex hisce quatuor ordinibus Regius senatus constabat, neque facile quisquam ad regnandum vocabatur nisi ex uno aliquo horum ordinum.

Præter hos multi inferiores ministri censebantur, quorum alios *Teçtli* vocabant, qui erant veluti prætores urbani: alios *Mixcoatl*, *layotlac*, *Ezguagacatl*, *Acatyacapanecatl*, & *Tequixquinahuacatl* qui veluti iudices erant ordinarii & lites populi dirimebant & justitiam administrabant. Nuncios autem suos & apparitores *Teputchli* vocabant, ii fere juniores & cælibes eligebantur ut ad cursuram magis idonei essent; Nam è remotissimis provinciis ad Regem referebant in linteis picta, quæ characteribus exprimere non poterant. Singulis autem provinciis præerant Regis vice gubernatores, vulgo *Petlacalatl*, quibus adjuncti erant Tributorum exactores, quos *Calpixque* vocabant. 30

Eorum autem quæ tributi nomine à singulis provinciis atque urbibus quotannis pendebantur census in picto libro visebatur, cujus exemplar idem *Purchasius* in laborioso suo opere exhibet: è quo facile est colligere, quanta fuerit imperii Mexicani magnitudo, & quam ingens thesaurus singulis annis in ærarium fuerit relatus. Etenim unaquæque provincia pro sui qualitate, ea quæ solum ferret, aut industria incolarum elaboraret magno numero pendebat: etiam liberos suos ut dæmonibus immolarétur.

Militiæ denique potissima illis cura fuit, variique militares ordines & dignitates à Regibus constitutæ, atque amplissima præmia fortissimis viris decreta.

Breviter his defungimur neque superstitiones illorum attingimus, quia prolixius à *Gomara* & *Acosta* aliisque sunt commemoratæ. 40

C A P. X.

Mexicanorum Idioma, numerandi & scribendi ratio, menses, anni, seculum & modus rerum gestarum memoriam conservandi.

NOVÆ Hispaniæ indigenæ infinita pene idiomatum varietate inter se discrepant, quæ non tantum dialectis variant, sed plane diversæ sunt linguæ; inter universas autem maxime excellit Mexicana, quæ & vicinis nationibus, etiam longinquis, postquam Mexicani imperii sui fines longe lateque propagarunt, tam 50 communis esse cæpit, quam in Europa Latina aut in Asia Slavonica: ita ut in singulis pene provinciis interpretes illius haberentur, quos *Nagualatos* vocant. Ut autem Lector gustum aliquem hujus idiomatis percipiat, paucula quædam hic inferemus è vocabulario in civitate Mexico impresso. Partes corporis humani hisce nominibus ab ipsis designantur.

Caput	<i>Tzontecotli</i>	Pectus	<i>Telchiquihtli</i>	Jecur	<i>Teltepachtli.</i>
Capilli	<i>Tzontli</i>	Humeri	<i>Abcolli</i>	Cor	<i>Tollochtli</i>
Frons	<i>Ixcuaitl</i>	Brachia	<i>Matzotzopatli</i>	Pulmones	<i>Chichitl</i>
Oculi	<i>Ixtelolorli</i>	Manus	<i>Maytl</i>	Lien	<i>Taxixtecon</i>
Aures	<i>Nacaztli</i>	Digiti	<i>Mahpilli</i>	Renes	<i>Netlocterenca</i>
Maxillæ	<i>Camachalli</i>	Ungues	<i>Iztitl</i>	Genua	<i>Tlanguaitl</i>
Os	<i>Camactli</i>	Nervi	<i>Tlahuyaotl</i>	Crura	<i>Metzquanhyotl</i>
Dentes	<i>Tlantli</i>	Venæ	<i>Tetzalhuoyotl</i>	Pedes	<i>Icxitl</i>
Lingua	<i>Nenepilli</i>	Venter	<i>Xillantli</i>	Suræ	<i>Cozteli</i>
10 Collum	<i>Cocotl.</i>	Dorsum	<i>Cuitlapantli</i>	Tali	<i>Xoquochtlantli.</i>

Colorum varietates discernunt hoc modo:

Candidum	<i>Iztac</i>	Nigrum	<i>Tliltic</i>	Pardum	<i>Nextic</i>	Cæruleum	<i>Texutic:</i>
Luteum	<i>Coztic</i>	Viridem	<i>Quiltic</i>	Rubrum	<i>Chichiltic</i>		

Rerum naturalium nomina hæc observanda duximus.

Mons	<i>Quauhtla</i>	Cervus	<i>MaZatl</i>	Anser	<i>Tlalalacatl</i>
Collis	<i>Tepetl</i>	Cuniculus	<i>Tuchtli</i>	Anas	<i>Canauhili</i>
Vallis	<i>Ixtlahuatl</i>	Sus	<i>Pitzotl</i>	Palumbis	<i>Huilotl</i>
Arbor	<i>Quahuiztl</i>	Leo	<i>Ocelotl</i>	Pavo	<i>Pelompatox</i>
Herba	<i>Xihuiztl</i>	Lupus	<i>Cuetlachtli</i>	Scorpio	<i>Colorl</i>
20 Fons	<i>Ameyalli</i>	Vulpecula	<i>Coyotl</i>	Pediculus	<i>Atemitl</i>
Torrens	<i>Atlantizli</i>	Felis	<i>Miztli</i>	Aurum	<i>Coztic</i>
Fluvius	<i>Atoyatl</i>	Canis	<i>Chichi</i>	Argentum	<i>Teocuitlatl</i>
Pons	<i>Quauhpanitli</i>	Equus	<i>Cahuyao</i>	Plumbum	<i>Temeztli</i>
Lacus	<i>Zahzacatla</i>	Taurus	<i>Quaquahne</i>	Ferrum	<i>Tepoztli</i>
Anguis	<i>Cohuatl</i>	Lacertus	<i>Acuetzpalin.</i>	Cælum	<i>Ihuicatl</i>
Formica	<i>Azcatl</i>	Pulex	<i>Teepin</i>	Sol	<i>Tonatiuh</i>
Ignis	<i>Tleztl</i>	Accipiter	<i>Cacalin</i>	Luna	<i>Metztli</i>
Cinis	<i>Nextli</i>	Aquila	<i>Cuauhtli</i>	Stella	<i>Citlabin</i>
Carbo	<i>Tecolli</i>	Corvus	<i>Acatlotli</i>	Nubes	<i>Mixtli</i>
30 Pluvia	<i>Quiahuiztli</i>	Pfittacus	<i>Tuznene</i>	Tonitru	<i>Tlatlatzinil</i>
Ventus	<i>Yeccatl</i>	Pica	<i>Hueytzanatl</i>	Fulgur	<i>Tlahuitequiliztli</i>
Gelu	<i>Zetl</i>	Coturnix	<i>Zulin</i>		


Personas ita distinguunt, *Nehuat* lego, *Tehuatl*, tu, *Yehuatl*, ille.

Gradus ita: Pater *Tahitli* Mater *Nantli* Filius *Tepiltzin* Filia *Teuchpoch* Frater *Teoquichtuich*, Soror *Tehneltiuh*, Avus *Tecoltzin* Patruus *Tetlahitzin* Dominus *Teuthli* Servi *Tlacoti*.

Denique numerant in hunc modum. 1 *ce* aut *centetl*, 2 *ome*, 3 *yei*, 4 *nahuy*, 5 *macuilli*, 6 *chicuacen*, 7 *chicome*, 8 *chicuey*, 9 *Chicunahuni*, 10 *Matlaçtli*, 15 *Caxtollli*, 20 *zempohualli*, 40 *ompohualli*, 50 *ompohualli on Matlaçtli*, 60 *yepohualli*, 70 *yepohualli on matlaçtli*; 80 *Naupohualli*; 90 *Naupohualli on Matlaçtli*. 100 *macuilpohualli*. 1000 *ontzontli ipan macuipohualli*, &c.


Porro Mexicani licet characteribus destituerentur, & scribendi artem ignorant non minus quam cæteræ nationes Americæ, tamen picturis quibusdam veluti hieroglyphicis notis mentem suam satis dextrè exprimebant, eisdemque non modo rerum gestarum memoriam conservabant, sed & liberorum institutionem & alia quævis describebant. Numeros quoque certis notis designabant; viginti quidem hæc

□ & ejusdem notæ multiplicatione usque ad ducenta, ita ut



cætum significaret. Quadringenta rursus hæc nota indicabant

& ejusdem repetitione ad quatuor millia. Denique

50  octo millia operosa hæc nota significabant: quas notas in censuali tributorum passim videre est juxta res ipsas quæ tributi nomine pendebantur ruditer admodum depictas: minorum autem aut majorum numerorum notas non potui



in illo libro observare.

Annum ut scribit *Gomara* dividebant in octodecim menses, viginti dierum singulos, qui efficiunt dies trecentos sexaginta, reliquos inter-

calabant, neque quicquam operis illis diebus, ut scribit *Acosta* faciebant, tantum oriabantur & genio indulgebant, ne Sacerdotes quidem sacris operabantur; contrarium scribit *Gomara*, & illos istis potissimum diebus, crudelissimis sacrificiis operatos testatur. Mensium autem nomina hæc commemorat: I *Tlacaxipenliztli*: II *Tozcactli*: III *Hucitozcuztli*: IV *Toxcall* aut *Tepupochuiliztli*: V *Ezalioaliztli*: VI *Tecuilhucinzli*: VII *Hueitecuilhuitl*: VIII *Miccatluicintli*: IX *Veimiccuilhuitl*: X *Vchpaniztli* vel *Tenavatiliztli*: XI *Pachtli* vel *Hecoztli*: XII *Hueipachtli*: XIII *Quecholli*: XIV *Panquecaliztli*: XV *Hatemuztli*: XVI *Tititl*: XVII *Izcalli*: XVIII *Coavitlevat*. Initium anni ipfis à nostro Martio vel ut *Acosta* observat à xxvi Februarii. Menses autem non modo ista nomina sed & suos characteres habebant: plerumque à festis sumtos, quæ in illos incidebant, aut ab anni tempestatibus.

Viginti quoque illi dies singuli sua nomina & notas habebant, ut idem *Gomara* prodit, hoc modo: I *Cipaçtli* gladiolus: II *Hecat* sive *Yecat* ventus: III *Calli* casa: IV *Cuetzpalin* sive *Acuetzapalin* lacertus: V *Cohuat* anguis: VI *Mizquintli* mors: VII *Mazatl* cervus: VIII *Tuchitli* cuniculus: IX *Atla* aqua: X *Izcuinhtli* canis: XI *Ozumatli* simia: XII *Malinalli* scopæ: XIII *Acatl* canna: XIV *Occlotl* Leo: XV *Cohautli* aquila: XVI *Cozcaquahuitli* bubo: XVII *Olin* templum: XVIII *Texpatl* cultellus: XIX *Quiavuitl* pluvia: XX *Xuchitl* Rosa. Eisdem dies in tredecim dierum classes, ut ita dicam, distinguebant, & præscripto exiguo circulo instar literæ o, & toties quoties opus erat multiplicato ordinem & numerum notabant. Annos quoque in similes classes, atque secula distribuebant: constabatque ipsorum seculum, quatuor ejusmodi classibus, id est, annis duobus supra quinquaginta: Nectamen in annorum descriptione, pluribus quam quatuor figuris seu notis utebantur, casæ, cuniculi, cannæ & cultelli: Annorum tredecim classem, prout ipsi pingebant, hic subjicimus.

Ultimo autem die seculi sui LII annorum, omnia vasa sua confringebant, ignemque extinguebant: nam quum à majoribus suis accepissent, mundum seculari anno interiturum, id quinquagesimo secundo quoque anno operiebantur: itaque totam noctem pervigilabant metuentes ne haud denuo illucesceret: Sole vero oriente, buccinis tibiisque lætitiâ suam testabantur & festum celebrabant, diis suis gratias agentes, quod novum adhuc seculum mundo prorogassent: nova sibi vasa atque aliam suppellectilem comparabant; novumque ignem à sacerdotibus petebant.

Denique hoc quinquaginta duorum annorum seculum, ita ad memoriam distinguebant; circulo ducto, in centro pingebant solem, & ab eo ad circumferentiam ducebant lineas quatuor, orbem dividentes in quatuor partes æquales, suis coloribus distinctas, viridi, cæruleo, rubro & fusco: quæ singulæ ad oram circumferentiæ divisæ erant in tredecim intervalla & suis notis ut supra distinctæ: ad singulos annos extra circumlum rudi pictura adumbrabant, quicquid memorabile accidisset, atque ita rerum gestarum memoriam ad posteros dimittebant.

CAP. XI.

Origines Mexicanorum, eorumque Principes secundum Gomaram.

NARRANT Historiæ Mexicanæ (inquit *Gomara*) Chichimecas primum ad has terras venisse anno à Christo nato secundum nostras rationes 10 cxxi. Primus princeps quem produnt dicebatur *Totepeuch*, qui circiter anno centesimo post eorum adventum decessit, ita ut hunc aut valde longævum fuisse necesse sit aut antecedentium Principum memoriam temporis injuria intercidisse. Hoc mortuo convenerunt in *Tula*, ibidemque in parentis locum sublegerunt *Topilem* viginti duorum annorum juvenem, qui circiter quinquaginta annis regna-



regnavit. Post illum centum & decem annorum intervallo Principum nomina exciderunt: Et quum advenæ hi pessime cum indigenis, nec satis bene inter se convenirent, duos in *Tula* principes elegerunt, quorum unus *Demac* versus unam plagam: alter *Naubiocin* natione *Chichimeca* suos duxit versus Lacum Mexicanum: hic sexaginta annis tenuit principatum; eique successit *Quauhexpetatl*; dein *Decin*; Huic *Nonovalcalt*; Deinceps *Achitometl*; porro *Quauhsonal*; ejus principatus anno decimo *Chapultepec* sunt ingressi. Huic successit *Macazin*; dein *Queza*; deinceps *Chalcuitona*; porro *Quauhtlix*; atque inde *Iohuallatonac*; cui successit *Cuithetl*, hujus anno tertio locum occuparunt ubi hodieque Civitas Mexicana cernitur. Post hunc memoratur *Xiuiltemoc*; dein *Cuxcux*; & porro *Acamapichtli* cujus anno sexto *Achitometl* unus è magnatibus rebellavit, & Rege cum sex liberis trucidato tenuit tyrannidem annis duodecim. *Illancuetl* regina vel ut alii volunt nutrix cum *Acamapichin* Regis filiolo se subduxit in *Covatlichan*. *Achitometl* autem postquam duodecim annis crudelissime in subditos fuisset debacchatus, exitium metuens profugit in montana, & civitas *Culhuacan* pene deserta fuit, principatusque inter Dominos *Azcapuzalco*, *Quauhanavac*, *Chalco*, *Covatlichan* & *Huexocinco* divisus. *Acamapich* interim adoleverat, & ob generis splendorem in civitatem Mexicanam revocatus, in Regem omnium consensu eligitur. Is viginti nobilissimorum virorum gnatas accepit in uxores & procreavit quamplurimos filios, quos præcipuis provinciis præposuit; urbem *Culhuacan* restauravit, eique dedit præfectum filium suum *Naubiocin*. Hoc Rege superstitere Mexicanæ plurimum creverunt, erat enim fortitudinis & prudentiæ singularis, tenuitque principatum annis sex & quadraginta: decedens tres reliquit filios qui successive post illum regnarunt; primùm quidem major natu *Vicilivitl* qui filiam Reguli *Quauhanavac* uxorem habuit: Secundo *Chimalpopoco*; Tertio denique *Izcova*; qui fuit Rex *Azcapuzalco*, *Quauhanavac*, *Chalco*, *Coautlichan* & *Huexocinco*: Sed Regni veluti socios habuit *Necoalcoyocin* Dominum *Tezcuci* & *Tlacopan* Regulum: atque ita deinceps conjunctim regnatum fuit, ita tamen ut primas teneret Mexicanus, secundas *Tezcucencis*, tertias *Tlacopan*. *Izcova* successit *Moteczuma* filius *Vicilivitl*, nam consuetudo obtinuerat, filios parentibus non succedere quandiu patru superessent, post illorum autem decessum, majoris natu fratris filius surrogabatur. *Moteczumæ* huic successit filia, quæ cognato nupta genuit tres filios, qui ad eundem modum successive regnarunt: & quidem primo *Axayaraca*; deinde *Ticozica* & tertio *Auhizo*. Quem denique secutus est *Mutezuma* II filius *Axayaraca* anno à Christo nato 1519, hunc à Cortesio in suo palatio captum Mexicani in tumultu ictu saxi vulnerarunt, è quo vulnere paulo post decessit. Mexicani autem pulsus è civitate Hispanis *Cuetlavacum* in imperio subrogarunt, fratrem *Mutezumæ*, ut *Herrera* scribit, aut consobrinum ut *Gomara*, qui aliquot tantum mensibus superfuit, morbo variolorum extinctus: successit ei *Quaunimoc* summus sacerdos & *Mutezumæ* è fratre cognatus; sub cujus imperio paulo post urbs à Cortesio fuit capta & regno Mexicano finis impositus.

C A P. XII.

Duces & Reges Mexicanorum secundum Acoftam.

PAULO prolixius Mexicanorum originem & Regum successiones, narrat *Acofta*, nos tantum compendio hic referemus.

Primi (inquit) *Novæ Hispaniæ* incolæ fuerunt *Chichimeca*, homines rudes, immanes omnifq; humanitatis pene vacui; (de quorum moribus alibi quoq; dicitur) atque *Otomies* his paulo cultiores: neutri tamen aut agros colere aut politicè vivere assueverant: Sed supervenerunt aliæ nationes è remotioribus ad septentriones regionibus, quas uno nomine *Navatlacos* vocarunt, id est, homines qui distinctim animi sui sensa possent proloqui: putantur autem antiquitus incoluisse regionem illam, quam nuper inventam Hispani *Novam Mexicanam* appellarunt. Septem populos fuisse ex pictis annalibus colligitur, in quibus origines suas septem antris exprimunt. Non simul autem omnes hi populi sese moverunt: Sed primi *Suchimilci* (id est populi qui flores colunt) qui Lacum hodie ad Meridiem accolunt in sui nominis municipio.

Deinde

Deinde aliquo temporis intervallo *Chalca* (id est populus buccarum) juxta priores sedes fortiti, quorum memoriam adhuc Chalco servat: Tertiò *Tepaneca* (id est gentes pontis) qui ad occidentalem Lacus oram ædificarunt, tantum brevi tempore augmentum ceperunt, ut oppidum suum *Azcapuçalco*, id est, formicarum antrum vocarent: Post illos advenerunt *Culva* & extruxerunt Tezcucum: atque ita Lacus ora undique cincta fuit, hisce ad orientem, Tepanecis ad septentriones tendentibus. Quinto advenerunt *Tlatluici* (quod nomen sonat Montenses, erant enim magis inconditi & barbari quam præcedentes) qui quum ripam lacus jam undique cinctam reperissent, superatis montibus, regionem amplam & imprimis fertilem occuparunt & urbem *Quahunabuac* condiderunt, id est, locum ubi aquilæ vox auditur; 10 quæ hodie ad Marchionatum pertinet & corrupte Cuernavaca appellatur. Sexto venerunt in hæc loca *Tlascalteca* (id est gens panum) qui montes nivales transgressi plures pagos & municipia condiderunt & imprimis caput gentis Tlaxcalam. Cæteri quidem *Chichimecis* nequaquam reluctantes, sedes fortiti fuerant, his autem ingens certamen cum gigantibus fuit, quos tamen astu superarunt, nam ad symposium vocatis & jam ebrietate solutis, arma clam subdixerunt, atque ita inermes nullo pene negotio confecerunt: Nequis autem hoc de gigantibus fabulosum opinetur, narrat Acoſta, anno 1510 LXXXVI in certo Sociorum prædio, quod *Iesus del monte* appellatur, sceleton ejusmodi gigantis effossum, cujus ipse molarem dentem viderit pugni humani magnitudine. Post illa non modo Tlascalteca sed & reliqui 20 advenæ quiete cum indigenis & inter se egerunt, connubiis & aliis pacis firmamentis inter se devincti: ipsique *Chichimeca* paulatim advenarum mores & cultum ceperunt imitari. Trecenti jam & duo anni præterierant, ex quo priores illi è finibus suis exierant, quum septima natio, quam Mexicanam vocant, ex *Aztlan*, & *Tuculhuacan* profecta accessit, gens politica & bellandi gnara: Dæmonium *Vitziliputi*, quod adorabant, ingentibus promissis & amplissimarum regionum possessione imperioque in superiores sex nationes, illexerat illos ex antiquis sedibus: præferebatur idolum illius in arca juncea à quatuor sacerdotibus; quibus dæmon & ordinem itineris & leges atque ritus sacrificiorum exponebat: ubi quiescendum erat, ante omnia 30 in medio castrorum idolum in tugurio super aram (Christianorum altari similem) collocabant, deinde alia munia obibant. Videtur (inquit Acoſta) Dæmon peregrinationem Israëlitarum ex Ægypto in terram promissionis imitari voluisse. Dux gentis erat *Mexi*, à quo urbi & populo nomen mansisse videtur. Lentis itineribus in hunc modum progressi in Mechuacanam provinciam pervenerunt, cujus amœnitate ob varios pisciferos Lacus quum summopere caperentur, ibidem optabant subsistere, sed vetuit Dæmon, & aliquot tantum hic mandavit manere, quos nudos, vestibus inter natandum subductis, destituerunt; atque inde capitale odium inter populos utriusque provinciæ perennasse volunt. Distat Mechuacan à Mexico circiter quinquaginta leucas, in illo intervallo *Malinalco* pagus occurrit, qui hac occasione coli cæpit; Erat in exercitu præstigiatrix quædam, quæ se Dæmonii germanam fe- 40 rens à populo adorari volebat; hanc Mexicani cum sua familia, Dæmonis monitu subsistere coegerunt; unde hodieque hujus pagi incolæ præstigiorum haud ignari judicantur. Mexicani porro longitudine itineris defatigati & ob plures colonias in itinere relictas, multum numero imminuti, in *Tula* paulum sibi quiescendum putarunt, & Dæmonis oraculo moniti, grandem fluvium objecta mole in planiciem vicinam derivarunt, ita ut restagnaret ut amœnissimum montem *Coatepec* lacus in modum undique cingeret: allubuit multis tantopere loci amœnitas, ut Dæmoni post aliquot annos ut procederent imperanti, minime auscultandum existimarent: ille autem iratus primum Sacerdotibus mandavit, ut disjecta mole, fluvium alveo suo restituerent; dein noctu horrendo tumultu castra complevit, maneque omnes illi 50 qui progredi detractarant, mortui & exenterati sunt inventi: quæ crudelitas postilla in ipsarum immolationibus viguit. *Chapultepecum* deinde ventum, montem amœnissimum & una tantum leuca ab urbe Mexicana distitum, inde post anceps cum Chalcis & Tepanecis prælium, in quo ducem suum *Vitziliviti* amiserunt, superiores facti, *Atlacubayam* Culhuarum municipium, indigenis in festo occupatis, intrarunt. Petitus deinde ad Domino *Culhuacan* ager, & impetratus in *Ticaapan* (quod sonat

sonat aquas candidas) loco viperis & serpentibus, quos vicinus mons gignit, obnoxio, ut illic perirent; verum illi Dæmonis sui consilio, angues non modo superarunt, sed & in cibis usurpare cæperunt. Ne tamen hunc quietis locum opinarentur, Dæmon ipsis alia certamina, aliamque migrationem prædixit, authorque fuit ut Duci suo filiam Regis Culhuacan in uxorem deposcerent, qua facile impetrata, virginem conubiali nocte exenterarunt & juxta idolum suum in divam consecrarunt; tam immani crudelitati additum ludibrium, invitatus Pater ut filia suæ jam divæ (*Tocci*, id est, aviam suam vocabant) litaret, qui cum advenisset cum plurimis donariis, in sacrarium obscurum introductus, ad incensi splendorem filia suæ pellem agnovit, &

10 Mexicanorum sævitiam abominatus, in illos cum suis infestus erupit & magna clade affectos fugere compulit. Illi trepida fuga primum *Iztapalapan* atque inde *Acatzintlatan*, mox *Iztacalcum* & denique locum ubi nunc *S. Antonii* cœnobium & vicus *S. Pauli* cernitur, petiverunt. Hic Dæmon suos consolatus, tempus jam venisse edicit, quo quietis locum & diu promissam imperii sedem fortirentur; & noctu seniores sacerdotem monuit, ut quæreret Tunale è petra nascens, & supra Tunale Aquilam quæ elegantibus aviculis pasceretur; hunc enim locum urbi condendæ destinatum, quæ vicinis gentibus longe lateque imperaret. Requisitus diligenter locus, tandemque est inventus, ubi primo capellula idolo è cespite educta fuit: Dein urbis fundamenta jacta, quam *Tenoxtitlan* dixerunt, id est, Tunale super petram, uti &

20 insignia urbis denotant. Deinceps urbs in quatuor regiones distributa, eaque rursus in minores vicos, singulisque sui divi tutelares attributi, quos *Calpulteco* vocant: quin & areæ singulis familiis divisæ. Displicuit ea divisio multis, qui se à reliquo corpore separantes, novas sedes in *Tlatelulco* occuparunt, non sine animorum divisione, quæ diu mansit. Visum deinde Regem eligere ut Rempublicam suam magis firmarent, petitusque à Culhuacanis *Acamapixtli* è nobili Mexicano & filia Regis Culhuacan prognatus; coronatusque fuit solenniter mitra, ei, quam duces Veneti gestant, non absumili. Tepanecæ autem quorum terras Mexicani infederant, grave illis tributum imperarunt, quod quum illi Dæmonis sui auxilio præstitissent, aliud longe gravius, & sine divina ope impossibile postulatum, quod tamen & Dæmonis auxilio, ut fa-

30 bulantur, suo tempore reddiderunt. Decessit post illa *Acamapixtli* postquam quadraginta annos imperasset, & urbem multis ædificiis publicis, privatisque illustrasset, libera successorem eligendi potestate civibus suis relicta: qui tamen filium illius *Virzilovitli* (nomen sonat plumam divitem) ipsi surrogarunt, & eodem unguento, quo idolum suum perungere consueverant, inunxerunt & coronarunt: Deinde *Ayan-chigual* reguli Azcapuzalco filia in conjugem impetrata: quæ ipsi filium peperit cui ab avo *Chimalpopocæ* nomen inditum, quod sonat parmam fumantem. Relaxatum deinde Mexicanis à Tepanecis tributum, Regina precibus, & duo tantum anseres & aliquot pisces imperati, in superioris Domini agnitionem. Obiit paulo post Regina & Rex *Virzilovitli* ætatis suæ anno trigesimo, regni decimotertio, filium relin-

40 quens decennem, qui electione Magnatum parenti successit. Penuriam aquæ dulcis patiebantur Mexicani, lacustris enim cænosior est & potari inidonea, itaque Regulus *Azcapuzalco* rogatus, ut ipsis permetteret è *Chapultepec* aquam dulcem in urbem inducere, haud gravatim concessit; factusque aquæ ductus è cannis & cespite, qui quum crebrius rumperetur, missi ad eundem Regem legati, qui rogarent ut Tepanecæ mitterent fabros qui lapide & cemento eundem communirent: Arrogantius Tepanecis hoc postulatum visum, atque advenis atque adeo subditis indignum: itaque inconsulto Regulo, quem nepoti addictiorem verebantur, suis omni commercio cum Mexicanis, capitali pœna proposita, interdicit. Rex Azcapuzalco horum gnarus, magnates suos rogat, ut Chimalpopocæ nepotis sui incolumitati primum consulerent, deinde de Mexicanis statuerent, prout ipsis videretur; plurimis visus est æquum postulare, sed duo principes contradixerunt, qui illum materno tantum sanguine ipsis devinctum, Mexicanis magis propitium rebantur, itaque denuo decretum ut Rex Mexicanus ante omnia è medio tolleretur; quod Rex ipforum tam graviter accepit, ut ex animi mærore paulo post decederet. Tepanecæ interea intempesta nocte profecti, palatium Regis Mexicani clam ingrediuntur & adolescentem aliquot vulneribus conficiunt. Mexicani mane Regem salutatum venientes, quum obrun-

Acama-
pixtli R.Virzilo-
vitli R.Chimal-
popoca
R.

catum reperissent, urbem planctu replent, & iræ atque vindictæ stimulis concitati unanimiter corripunt arma: jamque incondito agmine contra Tepanecas properabant, quum unus è Primatibus monuit, ne tam inconsulto nimis festinarent, sed ante omnia Regi iusta persolverent, eique darent successorem: Vocatis itaque ad exsequiarum solemnia Tezcuci atque Culhuacan proceribus, crudele Tepanecarum facinus flebiliter exponunt, se tamen non auxiliares copias adversus illos petere, tantum rogare ut commercia sibi cum illorum subditis libera permanere sinant, cætera sibi curæ fore; quod quum impetrassent, ut Electioni novi Regis interessent petierunt. Electus *Izcoatl*, Acamapicctli è servâ genitus, cæterum fortitudinis & prudentiæ singularis; magno omnium applausu, præcipue Tezcucanorum, quorum Rex germanam hujus in uxorem duxerat. Prima consultatio de bello Tepanecis inferendo habita fuit, verum vulgus, hostium numerum atque arma (quibus superiores esse illos noverant) metuens, Regi supplicari cœpit, ut pacem bello anteferret, malle se Tepanecis, ut ante, servire, eorumque coloniis ascribi, quam armis in certum exitium ruere. Rex vulgi precibus moveri visus, Sacerdotes cum suo Idolo ad Regem Azcapuzalco supplices procedere jubet, verum *Tlacaell* regis consobrinus, fortissimus adolescens, stitit agmen & magnifica oratione Regem & proceres est dehortatus ne tantum dedecus admitterent, atque eo usque promovit, ut Regem incepti pœniteret, & consilia magis salutaria Reipubl. caperet: functus quoque ipse legatione ad Tepanecas, non sine discrimine, qua denunciabatur Mexicanos pacem modò æquam quàm bellum malle, ipsi quod præferrent eligerent; & bello, siquidem id malle viderentur, denunciato incolumis & aliquot hostibus prius occisis ad suos est reversus. Omnibus autem ad bellum inferendum rite præparatis, convenit inter plebem quæ certamen detractabat & nobilitatem, ut si nobiles victoriam reportarent, plebs ipsis in perpetuum vetigalis fieret, sin secus accidisset, nobiles se plebeis mactandos & immolandos traderent. Tlacaell exercitum ducere jussus, illum in duas partes divisit, & tam fortiter rem gessit ut Tepanecas magna clade percussos profigaret & oppidum illorum Azcapuzalco primo impetu caperet; & plurimos mortales hac illac palantes sterneret: Urbs direpta & opima spolia capta & inter victores divisa: ager denique hostilis viritim nobilibus distributus & plebs Mexicana prout convenerat nobilibus addicta. Imperus deinceps in *Cuyocanos* factus, qui Azcapuzalco excidio nihil territi, hostilia in Mexicanos non sine ludibrio ausi fuerant, & ejusdem Tlacaellis virtute debellatum, *Cuyocan* urbs capta atque direpta, quique excidio superfuerant in deditionem accepti & tributarii sunt facti. Haud dissimilis clades & *Suchimilcos* involvit, sed mitius cum victis actum, oppidoque illis integro relicto, semitam ad urbem Mexicanam communire & silicibus sternere jussi sunt, quo facilius commercia inter utrosque possent exerceri.

Cuitlavaca, oppidi in ipso lacu siti, incolæ arte navigandi, qua pollebant, confisi, Mexicanis se facile pares vel etiam superiores opinantes hostilia meditabantur, quod quum Rex *Izcoatl* subodoratus esset, maximas copias adversus illos mittere parabat, verum Tlacaell tanto molimine nihil opus esse professus cum sola juventute Mexicana eos ita afflixit, ut se suaque ultro dederent. Perterruit hæc victoria & tot rerum prospere gestarum fama vicinos omnes & imprimis *Tezcucenses*, quorum prudentia maxime celebratur: itaque missis legatis se Mexicano imperio subjecerunt. *Izcoatl* autem anno regni sui duodecimo fati concessit; ei surrogatus fuit *Mutezuma*, magna celebritate electus & majori quam antehac pompa coronatus. Inoleverat jam consuetudo ut Rex electus certum captivorum numerum ex hostico raperet, qui festo coronationis crudeliter Dæmoni immolarentur: rapti è provincia *Chalco*, nec tamen tum perdomita fuit provincia, cujus incolæ bellicosissimi habebantur. Accidit autem paulo post res imprimis memorabilis, Chalcenses siquidem Regis Mexicani fratrem in prælio captum, sibi Regem constituere satagebant, ille vero annuere visus, palum erigi & tabulatum supersterni jubet, tanquam è sublimi concionem ad ipsos habiturus, verum quum ascendisset, brevi oratione ad suos habita de integra sua in patriam atque fratrem fide, se præcipitem dedit, misereque periit: Chalcenses tam crudele facinus

Izcoatl
R.

Mutezuma
R.

facinus abominati, cæteros captivos immaniter dilaniarunt. Rex Mexicanus post hæc cum maximis copiis in *Chalcenses* movit, iisque debellatis, vicinas quoque gentes usque ad utrumque mare perdomuit & virtute præcipuè Tlacaellelis Mexicano adjunxit imperio. *Tlascaltecas* intactos relinquere satius visum, ne aut bellorum materies juventuri exercendæ deesset, aut unde hostias diis suis immolandas abriperent. Ita ut huic potissimum Regi & exercituum illius imperatori Tlacaelleli, imperii Mexicani amplitudo haud dubio debeatur. Hoc regnante celeberrimum *Vitziliputzli* templum, aliaque ædificia publica barbara magnificentia fuerunt constructa. Obiit denique *Motezuma* vigesimo octavo imperii sui anno; Quumque
 10 Electores unanimi consensu Tlacaellelem elegissent, ille constanter dignitatem recusavit, & *Tizocic* licet admodum juvenem, neque tanto oneri parem, Parenti suo subrogari voluit: Verum Mexicani ignaviam hujus pertæsi, quarto imperii sui anno veneno sustulerunt. Successit illi germanus *Axayaca*, imperio dignior: decessitque Tlacaellel jam provector, cui à Rege & magnatibus atque universo populo magnificentissime, prout par erat, est parentatum. Rex autem nondum coronatus in Provinciam *Tequantepec*, pene ducentis ab urbe leucis, profectus, graviter cecidit hostes, urbem illorum expugnavit, atque regionem omnem usque ad *Guatulcum* (notissimum jam ad mare Pacificum portum) pervastavit, ita ut cum maximo captivorum numero triumphabundus rediret & coronam regni cum summa solemnitate susciperet.

Tizocic R.

Axayaca R.

Tlatellulci deinde incolas, licet ejusdem gentis, sed post primam illam secessionem semper discordes, Rege illorum in duello superato, domuit, & multis præterea victoriis nobilitatus, decessit anno regni sui undecimo. Electus magno omnium consensu in illius locum *Autzol*, qui in *Quauxutilan* ditissimam provinciam & hodie quoque inter primas Novæ Hispaniæ, contendens, perduelles tam ingenti strage perculit, ut cum maximo captivorum numero in urbem reverteretur & auspicia regni caperet. Celebratur imprimis hujus Regis liberalitas & magnificentia; utpote cui plurima ædificia publica, & imprimis maxime necessarium aquæductum inde à Cuyocan derivatum, acceptum ferunt Annales Mexicani, quos rudibus picturis
 30 expressos in Bibliotheca Vaticana asservari scribit *Acosta*.

Autzol R.

Obiit autem anno regni sui undecimo; habuitq; successorem *Mutezumam secundum* cuius regni anno quinto & decimo, à Christo autem nato 1510 *Hernandus Cortesius* primum has regiones est ingressus. Breviter his defungimur, quæ curiosus Lector, prolixius poterit legere apud *Acostam*. Lib. VII. Historiæ Naturalis & Moralis.

Mutezuma R.

C A P. XIII.

Regum Mexicanorum series secundum Annales ipsorum pictos.

40 SUPERIORIBUS annis diligentissimus rerum Indicarum illustrator *Samuel Purchasius* Anglus in locuplete suo rerum peregrinarum Thesauro edidit Historiam Mexicanam à *Teuch* regulo sive anno nostro 1519 ad *Mutezumam* posterioris exitium, olim ab Hispanis ex pictis Mexicanorum Annalibus expressam & notis illustratam, ab ipso vero in Anglicum sermonem versam; è qua compendio quoque annotare Regum Mexicanorum seriem; regni annos, & res gestas, operæ precium visum. licet multum discrepent à præcedentibus relationibus uti mox indicabimus. In hisce autem Annalibus ad marginem picti sunt anni per suas classes tredecim annorum, iis notis quas ante designavimus, in interiori spatio effigies primum Regis cum insignibus quæ nomini illius respondent, deinde ante illum arma, parma, sagittæque; postremo oppida ab ipso domita cum suis insignibus, quæ itidem
 50 cum nomine congruunt. Juxta autem annorum trisdecaterides semel atque iterum annus secularis, qui ipsis est quinquagesimus secundus quisque, designatus speciali hac nota uti ad annum vigesimum octavum regni *Teuch* & septimum regni *Huiziluhuit*, & quintum *Mutezuma* posterioris; in cæteris omissam puto, licet author Hispanus qui Annales illustravit non videtur ignorasse quid nota illa sibi vellet; nimirum hac designari annum ipsis formadibilem, quia à majoribus suis acceperant; hoc anno



seculari recurrente, ut plurimum ingens aliquod damnum, aut à diluviis tempestatibusque, aut ab hostilibus incurfionibus ingruiffe; aut denique quod supra annotavimus, hoc anno mundo exitium protendi.

Anno à C. N. cIo ccc xxii. Mexicani locum urbi condendæ ceperunt, quæ nunc Mexico appellatur, & quum à decem ducibus regerentur, *Tenck* elegerunt qui cæteris præffet; Hic quinquaginta & uno annis præfuit, & *Culhuacan* atque *Tenyaucam* regno suo adjecit.

cIo ccc lxxiii. Successit *Acamapich*, regnavitque annis uno & viginti; hic subdidit imperio Mexicano *Quauhuanac*, *Mizquic*, *Cuitlavac* & *Xuchimilco*. 10

cIo ccc xciv. *Huizilihuitl* filius *Acamapich*, patri succedens regnavit annis uno & viginti; subjugavit *Toltilan*, *Quauhtitlan*, *Chalco*, *Tulancinco*, *Xaltocan*, *Otumpan*, *Acolmam*, *Tezcucum*.

cIo cccc xv. *Chimalpupuca* Patri in imperio furrogatus, regnavit annis decem, subjecit oppidum *Tequixquiac* & *Chalcenses* rebellantes compescuit.

cIo cccc xxv. *Yzcoatl* filius *Acamapich* fratri succedens, regnavit annis tredecim, & adjecit imperio Mexicano *Azcapuzalco*, *Coyvacan*, *Teocalhuayan*, *Guaguacan*, *Tlacopan*, *Atlahuyacan*, *Mixcoac*, *Quauximalpan*, *Quauhuitlan*, *Tupan*, *Acolhuacam*, *Mizquic*, *Cuitlahuac*, *Xuocinwilcopu*, *Quantlatoare*, *Huicilapan*, *Quaunahuac*, *Cuecalan*, *Cagualpan*, *Iztepec*, *Xuchtepec*, *Toalan* atque *Tepequanilco*; Dominum 20 *Tlatelulco* tributarium fecit, & *Chalco* rebellionem parantem contudit.

cIo cccc xxxviii. *Guegue Motezuma* filius *Huizilihuitl* successit, regnavitque annis novem & viginti: Subjugavit *Coyaxtlahuacan*, *Mamalhuaxtepec*, *Tenauco*, *Teteuchtepec*, *Chiconquiauhco*, *Xentepec*, *Totolapan*, *Chalco*, *Quaunahuac*, *Atlatlanctia*, *Huaxtepec*, *Yauhtepec*, *Tepuztlan*, *Tipatzcinco*, *Yacapichtlan*, *Yoaltepec*, *Tlachco*, *Tlalcocauhuitlan*, *Tepequacuilco*, *Quyanteopan*, *Chontalcoatlan*, *Huichipichtlan*, *Atotonilco*, *Axocopan*, *Tulan*, *Xilotepec*, *Yzquincuitlapilco*, *Tlapacoyan*, *Chapolixitlan*, *Tlalanchquitepec*, *Cuetlaxtlan*, & *Quauhtocheo*.

cIo cccc lxxvii. *Axayacaci* filius *Tecozomoeliqueto*, nepos *Yzcoatl* successit, regnavitque annis duodecim & quamplures urbes subjecit Mexicanis; & *Moquihuix* 30 Dominum *Tlatelulco* rebellantem ita coarctavit ut se è fastigio templi præcipitem daret.

cIo cccc lxxix. *Ticocicatzi* parenti in imperio successit, regnavitq; annis quinq; hic imperio Mexicano adjunxit urbes quatuordecim, *Tonahymoquizayan*, *Toxico*, *Ecatepec*, *Zilan*, *Tecaxic*, *Tulucan*, *Yancuizlan*, *Tlapan*, *Atezcahuacan*, *Mazatlan*, *Xochiyetlan*, *Temapachco*, *Ecatlyquapocheo*, *Miquatlan*.

cIo cccc lxxxiv. *Abuczozin* fratri furrogatus regnavit annis sedecim, & urbes quadraginta quinque imperio Mexicano acquisivit, quas hic, ne barbarorum nominum frequentia Lectori fastidium adferamus, omittimus.

cIo Io ii. *Motezuma* filius *Axayacaci* successit, & decimo octavo regni sui anno periit, 40 postquam ante Hispanorum adventum quadraginta quatuor oppida imperio suo adjecisset: decimo septimo autem imperii ipsius anno *Cortefius* (inquit interpretres) *Novam Hispaniam* adiit.

Atque hæc quidem secundum interpretationem *Annalium pictorum*, annorum autem calculum nonnihil correximus, qui ibidem perturbatissimus erat, nec cum regnorum annis qui unicuique Regi ascribuntur & appinguntur conveniebat; ac ne sic quidem cum præcedentibus aliorum narrationibus consentit. Constat ex historiis Hispanorum atque ipsiusmet *Cortefii* Relatione, illum anno cIo Io xviii primum *Novam Hispaniam* adiisse, qui si fuerit decimus quintus Regni *Mutezumæ* 50 junioris ut *Acosta* tradit, initium illius regni inciderit in annum cIo Io iii ut *Gomara* prodidit, nec multum à calculo hoc nostro abludit, interiit autem anno cIo Io xx atque ita regnaverit annis octodecim: hæc satis bene inter omnes conveniunt. Sed inter regum Mexicanorum historiam quam *Acosta* tradidit & *Herrera* in suis decadibus securus est, & hanc è pictis *Annalibus* expressam, maxima est varietas, tum in genealogia Regum, tum annorum regni numero, denique in rerum gestarum narratione:

tionem : differentiam in annorum numero quibus singuli regnarunt, in tabella subjicere visum.

	Secundum Gomaram :	Acostam :	Annales pictos.
	<i>Acamapich</i> XLVI.	<i>Acamapichtli</i> XL.	<i>Acamapich</i> XXI.
	<i>Vicilivitl</i>	<i>Vitzilorvitli</i> XIII	<i>Huizilivuitl</i> XXI.
	<i>Chimalpopoca</i>	<i>Chimalpopoca</i>	<i>Chimalpupuca</i> X.
	<i>Ixcoua</i>	<i>Izcoatl</i> XII.	<i>Izcoatci</i> XIII.
	<i>Motezuma</i>	<i>Guegue Motezuma</i> XXVIII	<i>G. Motezuma</i> XXIX.
10	<i>Motezuma filia</i>	<i>Ticozic</i> IV.	<i>Axayacaci</i> XII.
	<i>Axayaca</i>	<i>Axayaca</i> XI.	<i>Ticocicatzi</i> V.
	<i>Ticozica</i>	<i>Autzol</i> XI.	<i>Abuizozin</i> XVI.
	<i>Anhico</i>	<i>Mutezuma</i>	<i>Mutezuma.</i>
	<i>Motezuma.</i>		

Atque hæc de rebus Mexicanis dicta sufficiant, ad institutum revertimur,

C A P. XIV.

20 *Panucensis provincie & oppidorum que ab Hispanis hodie in illa incoluntur descriptio.*

30 **P**ANUCO provincia ab urbe Mexicana ad Arctum sita ; olim Præfectura per se, nunc vero Diæcesi Archiepiscopali conjuncta, patet in longitudinem quinquaginta leucas, totidemque fere in latitudinem : Solo qua parte Archiepiscopatum contingit perquam fecundo, & auri venarum haud experte ; qua vero ad Floridam vergit, per quingentarum pene leucarum, ut ferunt, spacia tristi atque sterili. Ab urbe Mexicana proficiscentibus primum occurrit *Ayotuxtetlan* provincia, bellicosissimis indigenis olim frequentissima, quam *Cortesius* anno dno 1519 subjugavit, incolis penè ad internecionem cæsis : Huic proxima est *Chila* quinque à mari leucis, quam idem ob incolarum robur & paludum multitudinem difficulter admodum perdomuit. In hisce provinciis olim quamplurimi fuerunt barbarorum pagi, quorum nonnulli ab Hispanis recensentur, *las Caxas*, *Yxicuyan*, *Nachapatan*, *Taquinitl*, *Tuzeteco*, quorum habitatores plurimos Hispanos qui cum *Francisco Garayo* venerant, occiderunt : Is enim provinciam Panucensem à Rege subjugandam acceperat, sed à *Corteseo* præventus destitit. Hic uti & in aliis Americæ provinciis, bitumen quoddam reperitur, quo navigia picis loco obduci possunt.

40 Hispani hodie in hac provincia Panucensi tres tantum habent colonias ; quarum primaria gentili nomine *Panuco*, ab Hispanis autem *Villa de San Stevan del puerto* appellatur, juxta *Chilam*, & supra *Panuci* fluminis in mare exitum : *Hernandi Cortesii* auspiciis condita postquam indigenas maximam partem excidisset, & ipsorum pagos exussisset. Distat ab æquatore paulum supra viginti & tres gradus versus Arctum : Sexaginta quinque leucas ab Vrbe Mexicana versus boream, octo autem à mari, ad ripam prædicti fluminis, quod ipsi aditum ad portum aperit : Ex adverso hujus oppidi ad septentrionalem ripam fluminis (quod hic haud admodum latum est) habent Hispani salinas suas, uti & leucam unam supra oppidum ; id enim præcipuum oppidanorum emolumentum.

Secunda colonia dicitur Hispanis *S. Iago de los Valles*, in mediterraneis ædificata, viginti & quinque leuc. à Panuco versus occidentem.

50 Tertia est urbs *S. Ludovici de Tampice*, octo leucis à Panuco sita versus Aquilonem, ad oram maris quod vulgo *Golfo de Mexico*, id est, Fretum Mexicanum nominatur.

Quamquam autem toto hoc littoris tractu, multi amnes in oceanum egrediantur crebrique terræ recessus multas stationes navibus aperiant, ad flumen *de las Palmas* usque, tamen leviter tantum cognitæ sunt, præter flumen Panucum, propter portum illius, opportunum quidem, sed adversus incerta ventorum nequaquam tutum.

Ut autem harum regionum situs, locaque & itinera magis elucescant, opera pretium me facturum existimavi, si duorum Anglorum observationes hic infererem. Eorum primus *Milo Philippides*, quum cum aliis centum à Joanne Haukino Equite anno c1515 LXXVIII in terram fuisset expositus, per varia discrimina tandem Panucum à barbaris omnibus vestibus spoliatus pervenit, atque captivus ab Hispanis ad Mexicanam metropolin est perductus: Is iter hoc nonaginta leucis definit: duorum quippe dierum itinere *Noheten* vicum venit *S. Mariae* nomini ab Hispanis dicatum: deinde *Mestitlan*, quatuordecim ab urbe leucis, à trecentis Hispanis habitatum; à qua *Puchucam* municipium unius diei itinere abesse testatur, & Puchucenses argenti fodinas sex à municipio leuc. versus Corum.

Alter vero *Ioannes Chiltonus* iter suum in hunc modum describit apud *Richardum Hackluytum*: Anno (inquit) c1515 LXXII cum sodali Hispano ab urbe Mexicana in Panucensem provinciam discessi: quum tridui iter processissemus ad *Mestitlan* oppidum pervenimus, à duodecim tantummodo Hispanis inhabitatum & circiter triginta millibus barbarorum, tam in oppido quam in vicino agro: oppidum hoc in edito monte ædificatum est, qui densis lucis undique cingitur; extra hos plurimi jacent pagi, qui salubri gaudent cælo, eorumque incolæ agrum colunt fertilem & crebris fontibus atque torrentibus riguum. Via regia frugiferis arboribus undique septa erat, peramæno prospectu; incolæ autem quacunque incedebamus, gratis comœtu nos adjuvabant. Viginti circiter ab hoc leucis aliud oppidulum occurrit *Clanchi-
moltepec*, nobili cuidam Hispano attributum, ad quod circiter quadraginta millia barbarorum pertinent; hic aliquot monachi ordinis *S. Augustini* in cænobiolo degunt. Hinc profecti *Guaxutlan* adivimus, ubi duodecim Hispani cum aliquot monachis ejusdem ordinis habitant.

Hinc *Guasteca* provincia sequitur nullis montibus aspera; hic primò *Tanculabo* pagum invisimus à certis barbaris habitatum qui cutem cæruleo colore inficiunt; & capillos ad genua usque promittunt & instar fœminarum eleganter in nodos contorquent: cæterum nudi agunt, nec umquam absque arcubus & sagittis procedunt, quibus admodum dextre uti sciunt: non auro aut argento, sed sale merces suas commutant, hunc maximi faciunt, uti necessarium adversus vermiculos, qui sub labiis illorum generantur, antipharmacum. Inde novem dierum itinere ad oppidum *Tampicem* progressi sumus, quod portum habet ad mare & tum (quantum potui observare) à quadraginta Hispanis tenebatur, quorum quatuordecim dum in sale colligendo occupantur à feris barbaris sunt oppressi atque trucidati. Sirum autem est oppidum ad ipsum Panuci ostium, amplissimi fluminis & quod ad sexaginta leucas oneraria quingentarum tonnarum ascendi posset, nisi vada ipsi ori objecta prohiberent. Deinde quatuordecim milliarium iter emensi Panucum venimus insigne quondam oppidum & præfecti sedem, nunc autem pene desertum & vix à decem Christianis & uno sacerdote habitatum, ob continuas immanissimorum barbarorum incursiones. Hic in morbum incidi ob aëris insalubritatem, qui me quatuordecim dies afflixit, ita ut aqua & fructibus, ultra sex leucas ob oppido quæsitis, vitam cogerer tolerare; itaque hinc mihi discedendum ratus, equum ascendo & barbaro qui me sustineret pone locato, cum aliquot sodalibus iter ingredior: postero die flumen trajecimus; hic solus sodales paulum præcedens aberro à via, & duo fere milliaria per silvarum avia vagatus, incido in barbaros, qui tuguriola quædam straminea incolebant, & viginti numero arcubus & sagittis instructi ad me accurrerunt, & de equo levatum ad Regulum suum deduxerunt: haud dubio devorandum nisi me ob maciem & squalorem corporis lue venerea laborare falso fuissent suspicati: quumque mihi frigidæ haustum, in vitro Veneto ad oram deaurato, obtulissent, & mirarer unde illud haberent, è Mexicana puella captiva quam mihi adjunxerant, intellexi: dynastam horum barbarorum haud ita pridem oppidulum *Skallapam*, triginta ab hoc loco leucis, in montanis situm, à paucis Christianis & ordinis Sant Augustini monachis habitatum, intempesta nocte captum diripuisse atque incendisse, & vitrum illud inter alia spolia reportasse. Quum jam horas aliquot inter hosce barbaros non sine magno metu hæsissem, rogatus à Rogulo an iter meum persequi vellem, statim annui, & tres conductores ab illo accepi, qui nudi cum arcubus suis & sagittis

sagittis ante me ambularunt, trium circiter milliarium iter, & in rectam viam redixerunt nutu significantes me haud longe à Christianorum oppido ab esse: id erat *S. Iago de los valles* in planitie situm & terreo vallo cinctum, quod à viginti quinque Hispanis tum tenebatur, quibus Rex Hispaniarum amplissima latifundia indulget, ut indigenas barbaros in officio contineant & limitem tueantur. Hæc regio robustissimos mulos nutrit, quos mercatores in varias Americæ partes deducunt. Hic sodales meos repperi; oppidani autem supra modum mirabantur, quo pacto manus effugissem illorum barbarorum, qui nulli Hispanorum hæcenus pepercerant, sed gloriæ ducebant vel minimam cutis crinitæ particulam hosti detractam pro monili
 10 gestare: quum octodecim dies hic valetudini restaurandæ insumissem, advenit *Franciscus de Page*, militum tribunus, à Vicerege *Henrico Manrique* missus, ut novum iter inde à mari ad *Sacatecanas* argentifodinas aperiret (absunt autem ab hoc loco centum & sexaginta milliaria) quo merces compendiosius possent subvehere, relicto itinere jam usitato ab urbe Mexicana, quod raro paucioribus quam sex septemve septimanis absolvitur. Hic, me cum sodalibus meis & militibus circiter quadringentis, barbarisque sagittariis quingentis, ex *Tanehipa* & *Tameclipa* pagis, assumtis, ad vastum flumen, quod vocatur *de las Palmas* & limitem inter Novam Hispaniam & amplissimas Floridæ provincias constituit, processit; deinde secundum ripam australem, tridui itinere ascendens, quum vadum frustra quæsisset, arbores cædere
 20 & rates conjungere aggressus est, quas barbari nostri natando ad adversam ripam cum militibus & impedimentis applicuerunt. Tridui deinde itinere per densissima nemora & arduos atque asperrimos montes eluctati, ad Sacatensis provinciæ argenti metalla pervenimus, quæ opulentissima totius Americæ septentrionalis censentur, & tum à trecentis Hispanis accolebantur. Sed de his suo loco, proxime sequenti libro plura dicturi sumus. Hæc jam sufficiant ad Panucensis provinciæ situm & constitutionem intelligendam; ad cæteras Novæ Hispaniæ partes transeamus.

T L A S C A L A.

30

C A P. XV.

Generalis provinciæ Tlascalensis descriptio.

ANTE QUAM descriptionem Episcopatus Tlascalensis, prout hodie se habet aggrediamur, operæ pretium fuerit, veterem hujus provinciæ statum paulo altius repetere.

Provincia itaque Tlascalensis quondam milliaria Hispanica quinquaginta patebat, civitas autem principalis, loco à natura egregie munito, condita erat, circiter viginti gradibus ab æquatore versus Arctum, in præruptis montibus & arduis atque
 40 asperis rupibus, unde & Tlaxcalæ nomen meruit, quod deinde in Tlascallan versum volunt, quod locum panum significat, ob maizii ubertatem, & com meatuum abundantiam, quam aprici colles & rigui valles ingenti copia subministrant: indigenæ autem securitatis gratia ut plurimum editos montes & loca frigidiora habitabant. A regione siquidem Civitatis, quam *Xicotencalt* vocabant, juga montium sese inter ortum & occasum longo dorso exporrigunt, per quorum medium fluvius *Zahuatl* defluit, qui nonnumquam ripas suas supergrediens sata, domosque proluit: in convallibus autem *Ocotevilco* pagus situs erat, ubi Hispani primis illis temporibus sedes suas collocaverant, ut à *Maxicatzin* illius regionis præfecto & summo ipsorum
 50 fautore commodius possent defendi: sed mox quietem nacti, uti facilius indigenas religionis Christianæ principiis imbuerent, ad ripas fluvii *Zahuatl* (quod nomen scabiosam aquam denotat, quia infantes illius undis abluti, plerumque scabie infestantur) descenderunt, ibidemque ædificia ad Hispaniæ normam cœperunt moliri.

Indigenæ olim sparsim degebant, aut aliquot ædificiis conjunctis, angustis & flexuosis semitis intercurrentibus; pleræque domus è cespitibus, quædam è materie, paucissimæ è lapidibus erant substructæ, humiles quidem, sed vastis conclavibus & peregrinæ formæ: hodie Hispanorum architecturam æmulantur.

Regimen civitatis atque provinciæ Democraticum vel potius Aristocraticum erat: utebantur idioma Mexicano necnon & Otomitico; Otomitarum populo, qui à Mexicanis defecerat, in clientelam recepto. *Otomita* hi sive *Otomyes*, gens est laborum tolerantissima, idolorū cultui supra cæteros addicta, inculta, politicarum artium omnino rudis, quæque religione Christiana difficulter admodum potest imbui, secus quam Mexicani qui summe dociles habentur. Licet harum regionum temperies ejusmodi pene sit, ut plerique indigenæ nudi incedant, & qui vestiuntur nihil pene hyeme aut æstate mutant; habet tamen & plagam paulo frigidiorē; quæ paulo magis ad Arctum declinat & licet non supra quatuor leuc. in latitudinem & decem in longitudinem pateat, tamen abundat omni frugum genere & fructibus ob infignem soli ubertatem, sufficitque non modo incolis sed & vicinis. Ea extenditur ab ortu in occasum, coliturque; quamplurimis pagis: ad arctum prætexunt altissima montium juga, continenter & quasi de industria in ordinem exposita, (Hispani vulgo vocant *Cordilleram*) quæ limites hujus provinciæ undiquaque; fere radunt, suntque editissima totius Novæ Hispaniæ, & quia finis illorum hæcenus ignoratur, constans opinio est, perpetuis jugis pene totum hunc novum Orbem percurrere; patent in latitudinem multis locis pene octo leucas, tam asperis clivis, ut plurimis locis habitari neutrquam possint, & tribus solummodo mensibus pluviis vacent, reliquis autem continuis nebulis & pluviis sordeant, & solis radiis rarissime tepescant. Dividunt hi montes inter temperatas & fervidas regiones, nam illis superatis sensim descenditur in ferventissimam planiciem, quæ ad mare pertingit, seu fretum Mexicanum. Porro montes hi variis arboribus undique vestiuntur, multasque nutriunt feras, leones, Tigres, Lupos, Adives (ita efferatos canes vocant) pecoribus admodum infestis, aliasque feras nostro orbi ignotas, serpentes & vipersas majores minoresque: inter quas agmen ducit, quam barbari vocant *Teuchtlacozaubquin*; *Fr. Ximenez* ita describit; Est fera (inquit) atrocissima, quam Hispani, quia morsus illius lethales sunt, vocant viperam; quatuor & interdum plures palmos longa, & mediocriter crassa, capite viperæ, ventre candido vergente ad fuscum; latera illius tecta sunt quibusdam squamis albis, quæ nigris per intervalla lineis distinguuntur; dorsum pardum & pene nigrum, cum radiis quibusdam fuscis, qui in spinam desinunt: plures autem illius sunt species, quæ tantum coloribus differunt: ocyssime se movet per rupes & præcipitia, (tardius in plano) unde Mexicani illi nomen à vento indiderunt, *Ocozoatl* appellantes: quot annos ætatis attigerit, tot sonabula posteriori parti caudæ annata deprehenduntur, quæ instar vertebrarum dorsū, sibi invicem succedunt; oculi ipsi sunt modici & nigri, dentes bini in superiori maxilla incurvi, quibus virus suum spargit, alii autem quini intra rictum ad utramque maxillam, qui ubi rictum deducit, facillime videntur; isti ab hoc serpente cum summo cruciatu intra viginti quatuor horas moriuntur, totum enim corpus ipsis finditur in rimas. Irritatus sonabula illa violenter movet & valide tinnit. Longe maximos in Panucensi provincia reperiri volunt quam modo descripsimus. Barbari autem & carnem illius in cibis usurpant; & medici ipsorum quoque dentes & pinguedinem in medicina vel potius Chirurgia. In eisdem montibus & volatilium infinita copia cernitur, quæ gregatim statis tempestatibus Arctoas partes petunt. Non est dubium quin & argenti venas terra hæc abscondat, quum aliorum metallorum vulgo hic reperiantur. Aluminis autem & Chalcanti magna copia est. Arborea quibus montes vestiuntur sunt pinus, quercus diversorum generum, aliæque quæ Copal & Liquidambar exsudent: quibusdam locis etiam manna colligitur, sed insuavis & ad purgandum inidonea. Mirabile autem in hisce montibus reperiri permultos pagos peramœnos, & omnibus ad vitam humanam necessariis optime instructos. Montana autem Tlascalæ, quæ Hispani ob vastitatem & mirabilem temperiem *las Faldes azules* vocant, in ambitu cincta sunt pulcherrimis jugis, quæ densissima sylva procerissimarum & crassissimarum arborum teguntur ad fastigium usque quod solum patet, & eminus contuentibus, elegantissimo colore cæruleo tinctum videtur: à quo illi nomen ut supra ab Hispanis inditum; qui reliquos montes *la Sierra de Tlascala* appellant, quia hujus provinciæ limites maxima ex parte concludunt. Octodecim leucas ambitu complectuntur, multasque nutriunt feras, atque etiam tauros & vaccas, quæ animalia primum

ab Hispanis inuenta, successu temporis hic efferantur. Ab hisce montibus omnes torrentes paludes atque uliginosa hujus provinciæ loca procedunt, uti & fontes saluberrimarum aquarum: pluvia autem tempestate, quæ ab initio Aprilis ad finem usque Octobris hic durat, omnes nimbi atque venti ex hisce montibus descendunt. Flumen autem *Zahuatl* piscium minime est ferax, haud dubio ob pernicem undarum lapsum & crebros cataractas. Lacus vero juxta *Topoyanco* pagum, sesquileucam patens, nullos quidem pisces, sed genus quoddam nigrorum lacertorum gignit, quorum majores palmi longitudinem non excedunt, edules gratique saporis, ita ut à barbaris maximi fiant. Lacus hic insignis, à barbaris in ambitu accolitur, qui hic
 10 arva uberrima possident, multasque fructiferas arbores & magnam Cochinillæ copiam: quo fit ut quotannis, valore ducentorum millium ducatorum in urbem Tlascalam inferant: nam præstantissimam in hac provincia colligi jam supra monuimus. De moribus indigenarum dum adhuc gentiles essent, non est necesse hic multa dicere; nisi quod primo hostium suorum, quos idolis suis immolaverant, carnibus vesci fuerit, postea quoque à popularibus suis haud abstinuerint, adeo ut humanæ carnes in publico macello venales prostant; quæ immanitas jam diu obsolevit.

Hujus denique Reipublicæ auxiliis fretus *Hernandus Cortesius*, imperium Mexicanum aggredi ausus fuit & tandem evertit: atque in hujus beneficii memoriam libertatem Tlascalensibus ab Imperatore Carolo V. impetravit, ita ut indigenæ Hispanis in servitutem minime addicantur: Sed solummodo (ut *Ioannes Chiltonus* testatur) tributum Regi Hispaniarum singulis annis pendant, manipulum tritici unum in
 20 singula capita, quod quotannis tredecim millium Hanegarum (mensura est Hispanica modio æqualis) quantitatem excedat.

C A P. XVI.

Episcopatus Tlascalensis limites, metropolis Puebla de los Angeles; vetus Indigenarum Civitas Tlascala, locaque vicina.

30 **E**PISCOPATUS Tlascalensis inter Mexicanum Archiepiscopatum & Episcopatum Guaxacensem medius, supra centum leucas ab uno mari ad alterum in longitudinem, octuaginta autem qua mare septentrionale, octodecim vero qua Australe attingit, in latitudinem dicitur patere: quibus limitibus præter Tlascalensem provinciam proprie dictam, de qua superiore capite potissimum egimus, complures aliæ continentur; uti *Tepeaca* octo tantum leuc. à veteri Tlascalensium oppido distans, de qua mox dicemus: & *Zempoala*, satis ampla provincia & valde fecunda maxima sui parte plana & pascuis læta, ab uno latere montibus tecta, nec supra duas leucas ab oceano remota: Indigenæ quum primū Hispani hic appellerent, haud quaquam nudi, uti insulares, agebant; multoque urbanioribus moribus imbuti,
 40 singulari obsequio Regulos suos colere didicerant: Præcipuum illorum oppidum, eodem cum provincia nomine, in planicie inter duos amnes erat extructum, ædificiis pro captu barbarorum satis splendidis: vicini & præsertim monticolæ olim *Totonagues* appellabantur, lingua moribusque à cæteris nationibus hujus continentis discreti. De cæteris provinciis postea dicemus.

Præcipuum hujus dioceseos oppidum ab Hispanis *Puebla de los Angeles*, id est, Angelorum civitas appellatur, distatque ab urbe Mexicana versus orientem, non nihil ad vulturnum deflectendo, leucas duas & viginti: familias numerare dicitur mille quingentas, in quatuor regiones (*Barrios* vocant Hispani) distributa: condidit illam *Sebastianus Ramirez* Præses anno cIo Io xxxi, secus viam quæ à
 50 mari per oppidum *Vera Crucis* ad metropolim Mexicanam ducit, quinque à veteri Tlascalensium civitate leucis, ad *Cholula* limites, in planicie *Cuetlaxcoapa*, & juxta nobilissimæ vallis *Atlixco* exordium, & ad ripam amniculi qui è Vulcano profluit: in agro tritici, vitium, sacchari cannarum, lini, atque adeo omnium fructuum Hispaniensium feracissimo: cœlo fruitur magis calido quam frigido, licet nonnumquam in vicinioribus urbi arvis fata à gelu adurantur. *Robertus Thomsonus* Anglus qui hic anno cIo Io lv & sequentibus vixit, distantiam illius ab oppido *Vera Crucis* definit

definit leucis tribus & quadraginta, & sexcentis tantum familiis Hispanorum tum restatur fuisse habitatam.

Quinque autem ab oppido Angelorum leucis versus Arctum, jacet Tlascala, vetus barbarorum sedes & libera civitas uti jam diximus: hic usque ad annum 1511 Cathedralis Ecclesia fuit, quæ tum ad Angelorum civitatem fuit traducta.

Haud procul à Tlascala fontes visuntur fluvii qui primo tenuis, inter oppidum Angelorum & Cholulam jam amplior delabitur, & per Provinciam Mechoacanam juxta Zacatulam in mare Pacificum egreditur, piscium quidem effætus, sed ingentium crocodilorum ita sæcundus ut vicina ripis loca depopulentur & vastitatem inducant.

Ad has urbes refertur vallis *Atlisca* leucam tantum unam & dimidiam lata, sed tam benigno cælo ut fata numquam à frigore corrumpantur, tantæque ubertatis ut quotannis supra centum millia hanegarum tritici hic cogantur, & Hispani supra mille, præter servitia, in opere rustico occupentur.

Ocumba. Septem quoque ab urbe leucis versus orientem jacet *Ocumba* sive *Otzumba* vallis, à diversorio quod *del Pinar*, ad alterum quod *del Perote* vocant, viginti leucas sese in longitudinem exporrigenens, decem aut paulo pauciores leucas lata: *Napuluca* celebris pagus hic aditur, à Nigrita quodam Christiano primum inchoatus, qui quum sues in hac valle nutrit, vicinos monticolas ita sensim ad se pellexit, ut pagum mille incolis impleret: Armenta atque pecudes brevi tempore tantum in hac valle incrementum ceperunt, ut pecuariorum conventum (Hispanis *Consejo de Mesta*) instituire & singulis annis in *Napuluca* pago celebrare necesse fuerit.

Popocatepec. Ocho autem à civitate Tlascala leucis versus occasum, *Popocatepec* mons se vastis jugis attollit, cujus vertex jugiter fumat, quumque Hispani in civitate illa morarentur, atque etiam postea, solito majoribus flammis emicuit, magna indigenarum admiratione. Hispani hunc ob similitudinem *Æthnæ*, Vulcanum vocant vulgò: in tantam altitudinem confurgit, ut multarum leucarum intervallo conspiciatur, & perpetuis nivibus albicet: agri tamen vicini totius Novæ Hispaniæ longe uberrimi censentur, & incolarum frequentia celeberrimi. Ad radicem hujus montis jacet *Guaxocingo*, pagus longe amœnissimus, sæcundissimus & populosissimus. Decem annis hic Vulcanus fumum edere superfederat, quum anno 1511 derepente cum tanto fragore fumus flammaque erupit, ut accolæ omnes in ambitu pene examinaret, tantamque cinerum copiam eructavit, ut *Guaxocingo*, *Quetlaxopan*, *Tepeacæ*, *Cholulæ* atque ipsius *Tlascalæ* agros, oppleret, & non modo herbas atque olera, sed & fructiferas arbores adureret, indigenasque in eum modum terreret, ut de regione deserenda atque mutanda cogitarent. *Didacus de Ordas*, tribunus militum sub *Corteso*, primus Hispanorum, virili ausu hunc montem ascendit usque ad craterem, quem orbicularem & patentissimo ore observavit: Deinde anno 1532 *Montannus* & *Mesa* cum aliquot Hispanis atque barbaris magno cum discrimine idem aggressi, & à vehementia frigoris pene oppressi, ad verticem usque subierunt: primusque *Montannus* fune in ipsum craterem demissus, sex vicibus circiter octo arrobæ sulphuris egressit, & post hunc alter Hispanus totidem vicibus alias quatuor: quod sulphur ad *Cortesum* detulerunt, excocto autem atque defæcato, decem arrobæ absolutissimi sulphuris remanserunt, quod maximo illis usui fuit ad pulverem tormentarium, cujus inopia tum laborabant, conficiendum; & potissimum ad urbem Mexicanam expugnandam momentum.

Guaxocingo.

Antequam autem à Tlascalensium civitate discedamus, nequaquam hic est prætereundum, Præsidem *Sebastianum Ramirez*, primis illis temporibus, omnem industriam atque diligentiam adhibuisse, ut *Coccinilla* in hisce regionibus impensius coleretur, quo factum est ut libera hæc Respublica mirum in modum effloresceret; tantusque è vicinis agris & finitimis provinciis ad Mercatum Tlascalensem singulis septimanis, non modum indigenarum sed & Hispanorum concursus fieret, ut pene incredibile videatur. Nam ut præteream frugum & omnis generis com meatuum abundantiam (quam quivis ex illo poterit æstimare quod quatuordecim aut quindecim millia pecudum, quatuor millia armentorum, duo millia porcorum, singulis annis in publico macello veneant) incredibilis simplicium medicamentorum,

Liqui-

Liquidambaris & similibus resinarum, Coccinillæ, Lanæ, aliarumque mercium copia ad hoc forum deportatur: multi in oppido argentarii, multi aurifabri, alique opifices degunt: nec vina Hispaniensia, aliæque exoticæ merces hic desiderantur, licet barbaris promiscue vinum bibere interdictum sit, nam si ipsis plenius indulgeretur, omnia Hispaniæ torcularia nequaquam hisce regionibus sufficerent.

In hoc Episcopatu denique (inquit *Antonius Herrera*) ducenti recensentur Indorum pagi primarii, & minores vici supra mille, barbarorum qui tributum Hispanis pendunt supra centum & quinquaginta millia: Sunt autem hi pagi divisi in classes sex & triginta, quarum singulis sacerdotes aliquot & clerici præsent: 10 triginta adhæc cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum & ordinis S. Augustini.

C A P. XVII.

Tepeaca provincia & oppidum Hispanorum Segura.

QUUM Hernandus Cortesius anno 1492, magna cum suorum & confœderatorum strage, ex urbe Mexicana esset proturbatus; & Tlascalam cum summa difficultate reversus, paululum se suosque refecisset, Republicæ illius consilio atque rogatu, ad Tepeacam provinciam, quæ octo leucis ab 20 ipsorum civitate aberat, subjugandam animum adjecit, & haud difficulter voti compos factus, anno proximo coloniam Hispanorum in illam deduxit & oppidum condidit *Seguram de la Frontera* (ut vocant) ad altitudinem octodecim graduum & quadraginta scrupulorum versus Arctum: loco peridoneo, ductis latis plateis & elegantibus ædificiis substructis, quum indigenæ antea domicilia sua in editis locis haberent, ubi hodieque nonnulli degunt.

Temperies hujus provinciæ, licet frigida regio à barbaris audiat, ejusmodi est ut alternatim sudum cœlum æstatem, pluvium autem aut nubilum hyemem faciat. Ager quidem suburbanus aridior est, quum urbs saxis & petris sit superstructa: nec 30 annæ alluitur aut fontibus rigatur, ita ut oppidani fere pluviali aqua uti cogantur (nam fons qui semileucam ab urbe scaturit acidior est, quales haud procul Almagro Castellæ oppido in Hispaniis hauriuntur) nisi quod jam à fluviolo, qui è Tlascalæ montibus profluit, per certos canales aquam in urbem derivarint. Pluviarum tempus hic quemadmodum in tota Nova Hispania, incipit Aprili mense & desinit Septembri, totoque hoc tempore Auster tam vehementer perflat, ut valetudini molestus sit: reliquis vero mensibus serenat, & flantibus aquilonibus æstus solis ita sufflaminatur ut modice hic interdum algeatur.

Ad districtum hujus provinciæ pertinent *Temachalco*, *Tecalco*, *Chachutlac* atque *Arazinga* nominatissimi pagi. Quorum *Temachalco* situs est ad radicem montis qui fissura modica ab altissimis illis montibus dividitur, quos perpetuis jugis pene totum 40 hunc Novum orbem pervadere supra diximus. Licet autem hæc regio fontium atque amnium sit indigens, nihilo tamen secius lætis abundat pascuis, ob longe lateque patentem planiciem & raris modicisque collibus erectam.

Indigenarum ingenia & mores fere uniusmodi sunt; præterquam quod nobiles & magis comes sint in sermonibus & cultiores in vestibus: lingua Mexicana ipsis communis, popularis paululum diversa, *Popolucam* vocant vulgo; quin & Otomiticam callent plerique & gloriantur suam esse nativam. Porro in finibus *Temachalco* atque *Chachutlac* juxta *Aloxucan* pagum, in summitate montis lacus cernitur, à summis ripis ad aquarum superficiem quinquaginta orgyas depressus, in quem Indigenæ atque animalia per angustam semitam aquatum descendunt: nullos pisces aut aliud 50 quodvis animal nutrit, nec hyberno, pluvioque tēpore augetur nec æstate minuitur, altitudinis est incomptæ, ita ut flumen subitus fluere opinentur, quod decem ab hoc leucis in planicie erumpat, *Aloazapan* vocant, nam aquæ hujus lacus cæruleo sunt colore atque algidæ, quales & hujus fluminis undæ deprehenduntur, unde conjecturæ fides. In iisdem finibus & tribus à jam dicto leucis, alter in planicie stagnat, qui *Tlachac* vulgo appellatur & undiquaque ab hominibus atque jumentis potest adiri leucam unam ambitu comprehendens, atque in abyssum profundus hic pisculos quosdam generat

generat albos & qui digiti longitudinem non excedunt, gratissimi saporis. Unam ab hoc leucam distat tertius lacus, qui planiciem duarum leucarum ambitu completitur, *Alchichican* dictus, quod nomen sonat aquas amaras, pecus tamen easdem potat & mirum in modum illarum haustu pinguescit, altissimus est hic Lacus & limpidissimus, non tamen aut pisces aut aliud animal nutrit: vento vehementiori agitated fluctus haud secus ac mare attollit, nec augetur nec minuitur ut prior: habetque planiciem adjunctam, quæ ad duodecim leucas extenditur, variis colliculis & pascuis mira varietate distinctam, in qua quamplurimi greges pascuntur. Innumeris arboribus sylvestribus abundat hæc regio ob nemorum & collium multitudinem; inter fructiferas autem sunt cerasi, Hispaniensibus non absimiles, nisi quod fructus brevissimis pediculis ramis quasi adhæreant. *Fr. Ximenez* videtur hanc arborem vocare *Capolin*; quam ita describit; est arbor mediocris, foliis amygdali aut cerasi, minutim ferratis; floribus racematim pendulis, è quibus nascuntur fructus cerasis nostratibus omnino similes, forma, mole & ossibus, nisi quod sapore magis accedant ad mora; floret primo vere, & fert fructus tota æstate: qui palato quidem grati sunt & à plurimis maximi fiunt, à medicis tamen minus laudantur utpote qui malum halitum concilient iis qui crebro usurpant. Nisi forte hic potius intelligenda sit alia arbor, quam vocant *Copalxocotl* quæ fert fructus similes exiguis pomis qui destillant salivam quandam valde glutinosam; quum arbor cætera cerasis valde sit similis, unde & fructus illius ab Hispanis cerasa gummosa appellantur.

Triticum hic abunde provenit, præsertim in valle quæ *S. Pauli* dicitur, quæ à plurimis Hispanis incolitur, qui pro quadringentis hanegis quas quotannis ferunt, ut plurimum octuaginta millia hanegarum messis tempore cogunt in horrea, monstrosa soli (si *Herreræ* hic tuto creditur) ubertate: fert & hordeum & fabas, aliaque legumina, linum quoque & *Cochinillam*. Plurimi hic ovium greges atque porcorum; in montibus autem præsertim nivalibus, innumeræ vagantur feræ, tigres, leones pardi, lupi, adives, cervi, aliaque animalia. Inter volatilia merito laudatur, avicula longe minima, instar papilionis oblongo rostro & incredibili plumarum subtilitate atque elegantia: (è quibus componuntur singulari industria imagines, haud secus quam si coloribus essent pictæ) rore tantum, qui floribus insidet, instar apum



viçitans; Iconem hic adjicimus, quam à *Clar. V. Car. Clusio* acceptam, non nihil quoad rostrum emendavimus, sequuti exuvias hujus aviculæ quas commodum acceperamus. *Huitzitzil* appellari scribit *Fr. Ximenez*, & floribus marcescentibus, arborum truncis rostrum infigere, atque

ita immobilem instar mortuæ illis adhærescere per sex menses, donec pluviis redeuntibus Flora rursus campos vestiat. *Gomara* vocat *Vicivilin*; *Oviedus* passerem *Mosquitum*. Reperitur passim in omnibus pene *Americæ* regionibus inter utrumque Tropicum.

Sale & gossypio caret hæc provincia; cæterum peropportuno loco sita est, præsertim urbs, ad utramque viam, quæ à *Vera Cruce* ad urbem Mexicanam ducunt, muniendam: quarum una dicitur *Suchilchima*, qua Hispani Mexicanorum limites primum sunt ingressi; altera *Ginochula*, quam hodie potissimum usurpant, quæ à *Tepeaca*, leuca paulo amplius una divergit.

C A P. XVIII.

Oppidum Veræ Crucis & præcipuus Novæ Hispaniæ portus S. Ioan de Ullua.

OPPIDUM *Veræ Crucis* distat ab *Æquatore* circiter novemdecim gradus versus arctum; à *Metropoli Mexicana*, pro ratione itineris, aut sexaginta aut sexaginta & quinque leucas: ab oceano vix quartam leucæ partem. Aducentis ferme *Hispanorum* familiis habitari tradunt, quorum plerique aut *classarii* sunt

infitores, qui merces ex Hispania advenientes excipiunt, & Americanas rursus in classem imponunt. Urbs veræ Crucis valetudine habitantium infamis habetur, nam quum pluvia tempestate, sive hyeme ipsorum, subsolano aut vulturno ut plurimum flante à vespera ad mediam noctem largis imbribus solum humectetur, & à summo mane ad vesperam Sol admodum æstuet; adhæc tenuissima arena, cui hoc oppidum superstructum est, largius humorē imbibat; isq; à frigore nocturno in superficie veluti constipetur, Sole exoriente humorem extrahi & in præfervidos vapores dissolvi consentaneum est, qui dispersi nares subeunt, & gravissime afficiunt cerebrum, generantq; febres acutas & plerumque lethales. Vapores autem hosce plane virulentos esse ex eo putant liquere, quod in ipsa urbis area, ubi aquæ pluviarum tempore in stagnum confluant, singulis diebus matutino tempore infiniti bufones parvuli generati conspiciantur, qui ubi paulum adoleverint, noctu horrendum stridorem edunt: Accedit quod haud longe ab urbe amnis defluit, cujus aquæ licet potabiles sint atque innoxia, tamen toto die admodum fervent; unde oppidani matutino tempore ad opera sua facienda egressi earum haustu, non minus quam vaporibus illis languescunt, & variis infirmitatibus tentantur. Idque non tantum hic, sed ad totam oram maritimam Novæ Hispaniæ, inde à flumine *Panuco* usque ad *Guaçacoalco* usu venire constanter affirmant Hispani. Porro à mense Novembri ad exitum Martii ne guttam quidem hic pluere dicunt, & ventus ab Arcto atque Aquilone flans ita temperat æstum & exsiccat solum, ut toto hoc tempore cælum hic tam salubre sit quam in urbe Mexicana, & qui hisce mensibus hic appellant nihil sentiunt incommodi; sed periculum est ne à septentrionalibus ventis in littus impellantur & naves frangant. Oppidani autem ut valetudini consulant, postquam naves exoneraverint, rursusque oneraverint, in quo fere ab Aprili ad Augustum occupantur, aliò & longius à littore recedunt; sceminæ imprimis, postquam prægnantes factæ sunt, ad mediterranea se conferunt, quia in oppido feliciter se parere posse desperant: denique ad noxios vapores discutiendos, armenta magno numero, summo mane, per omnes oppidi semitas agunt.

Iter ab hoc oppido ad metropolim Mexicanam, institui tradunt ad hunc modum:

A *Vera Cruce* ad *Xalapam* leuc. XVI.

A *Xalapa* ad *Perotam* VII. Est autem *Perota* vicus perexiguus pauculis tuguriis stramineis constans (*Ventas* vocant Hispani, id est, diversoria) in pinorum & cedrorum sylva, & agro frigidiusculo ob vicinitatem montium nivalium.

A *Perota* ad fontes *Otzumba* IX. hi juxta viam regiam erumpunt è certis fissuris; hic quoque habentur diversoria ad eundem modum.

Ab *Otzumba* fontibus ad civitatem *Angelorum* VIII.

A civitate *Angelorum* ad veterem *Tlascalam* V.

Ab hac denique ad Metropolim *Mexicanam* XIV.

Atque hæc quidem è relationibus eorum qui ante plures annos scripserunt de rebus Novæ Hispaniæ, postilla autem oppidum alio translatum est, & quum antè quinque leucis à portu abesset; juxta & è regione illius est collocatum, uti mox dicemus, ubi prius de Portu egerimus.

Portus Novæ Hispaniæ principalis & pene singularis ad Marè Septentrionale; vulgo appellatur *S. Iuan de Vllua*; ab Insula exigua & fluctibus maris pene æquali, ita ut nonnumquam quum æstus valide implevit, cooperiatur: scopulis atque vadis magna sui parte exterius & versus altum cincta; objacet continenti; freto tantum ducentas perticas sive decempedas (*Varras* dicunt Hispani) lato, ab ora divisa: interiori sui parte Portum concludit, qua nimirum continenti obvertitur; atque hic murum habet è vivo saxo inde à fundamentis eductum, continentem in longitudine unà cum munimentis, ejusmodi perticas centum nonaginta quinque; mare autem ad pedem muri altum est orgyas quatuor, ita ut onerariæ tam propinquæ constituantur, ut è prora in murum exsiliant: naves vero non modo anchoris in mari fixis, sed & funibus atque ferreis catenis ad annulos deligatis retinentur, tanto enim interdum impetu venti septentrionales incumbunt, ut revulsas in oppositum littus impellant atq; comminuant. Ad utrumque muri angulum munimenta jam olim fuerunt exstructa, & præsidium centum & quinquaginta militum à Rege impositum: Nigritæque complures

plures hic collocati ad opera quotidie collabentia restauranda. Continens è regione jacens, juxta littus quidem planiciem, ubi leucam inter rus processeris, opacos lucos exhibet, in quibus magna ferarum agit copia. Super hanc quam dixi, planiciem Novum oppidum *Verae Crucis* jam est conditum, continens in longitudine perticas mille ducentas. Nam ante quum oppidum, ut supra, quinque leucas à portu distaret, ut plurimum quatuor mensibus opus erat ad naves levandas rursusque onerandas, quod hodie summo compendio fit: Locus in quo oppidum superstructum est, antea *Buytron* appellatum ferunt à monte qui illi ab occasu imminet.

Ioannes Hawkins celeberrimus inter Anglos classium Præfectus anno cDcIoLXVIII sub mensem Septembrem hunc portum ingressus, naves Hispanicas duodecim ditissimis mercibus onustas offendit, quæ abitum in Hispaniam parabant, nullosque 10
ipsis damno illato tantum comearum classi suæ venalem petebat; quum postero die Classis ab Hispania advenit, novum Viceregem & opulentas merces Europæas tredecim navibus advehens, quam quum portu arcere cum certa Hispanorum pernicie facile potuisset, tamen certas condiciones stipulatus, statim admisit: Verum haud tuto Hispanorum promissis credi, magno suo detrimento fuit expertus, navibus ipsius ex improvise depressis & fortissimo quoque suorum in certamine desiderato; ita ut cum duabus tantum navibus è portu ægre se proriperet, & postquam 20
quatuordecim dies in freto Mexicano miserè fuisset jactatus, annona in tantum navalium sociorum numerum minime sufficiente, centum suorum in continentem 20
exponere cogeretur; quorum aliqui à barbaris cæsi, reliqui omnibus vestibus exuti, post varia discrimina in Hispanorum manus inciderunt, qui illos primum *Pannucum*, deinde ad urbem Mexicanam duxerunt, ubi partim morbis, partim variis suppliciis religionis ergo interierunt, pauci tantum raro Dei beneficio servati, post plurimos annos incolumes in patriam redierunt, & inter illos *Milo Philipides* de quo supra.

C A P. XIX.

Reliqua ora maritima Episcopatus Tlascalensis.

EPISCOPATUS Tlascalensis, ad oceanum septentrionalem, qui hic vulgo *Golfo de Mexico* appellatur, dividitur ab Episcopatu Guaxacensi (de quo statim) 30
flumine, quod hodieque à primi inventoris nomine *Rio de Alvarado* vocatur, Indigenæ autem olim suo idiomate dicebant *Papaloavam*. Huic ad occidentem secundum eandem oram proximus est fluvius quem vocant *de Banderas*, quia indigenæ velis quibusdam candidis instar signorum militarium, Hispanos præternavigantes, ut exscenderent, invitare visi fuerant, prima *Ioannis Gryalvæ* in hanc Americæ partem navigatione. Hunc ultra objacet continenti Insula, quam ab arenarum candore vulgo *Blancam* vocant, nec procul hinc altera, quatuor circiter à continenti leucis, quam *viridem* dicunt ab arborum læte virentium copia, itemque; tertia sesqui 40
leucæ intervallo à continente discreta, quam *Gryalva* Sacrificiorum insulam nominavit, quia in illam exscendens, altare & homines nuper Dæmoni immolatos, apertis pectoribus, & brachiis cruribusque detruncatis, parietes quoque templi recenti sanguine aspersos hic offenderat. Sunt qui tradant Hispanos primis illis temporibus hic exscendere & merces suas exponere suetos, superstitione & terri-
culamentis quibusdam nocturnis deterritos hanc insulam deseruisse: Sed magis verisimile est metu naufragiorum, quia Aquilo hic valde infestus est, securiorem stationem & portum alibi quævisse. Hanc Insulam prætervectis versus occidentem occurrit Insula *Sant Ioannis*, de qua superiore capite diximus. Ad continentem autem nihil memorabile toto hoc tractu designatur. Atque hæcenus continentis littora 50
ad occidentem pergunt, dehinc ad Arctum toto latere terra convertitur; ubi primum est obvius amnis *Verae Crucis* illius veteris. A quo deinceps oram versus Septentriones legentes, quatuor leucarum intervallo, accipit *Sempoala*, tenuis amnis nec majorum navigiorum patiens: Quem octo leucarum intervallo sequitur fluvius *Almeriæ*; quem Indigenæ appellabant *Naothlan*; hic oritur in montibus *Totonaquiorum* atque *Micantle*, & inter objectos colles elu-
ctatus,

status, effundit se in oceanum modico admodum alveo. Ad hujus ripas olim *Medellinum* oppidum *Cortesi* auspiciis fuerat conditum, in patriæ urbis memoriam, quod triennio postquam fuerat structum, deductis colonis, anno cIo Io xxv, à ministris Regis Cortesio tum absenti supra modum infensis, in solitudinem fuit redactum.

Juxta autem flumen, campi Almeriæ à nauticis hominibus observantur, quos alii ad altitudinem viginti graduum, alii viginti graduum & triginta scrupulorum collocant. Sequitur porro ad eandem oram fluvius *S. Petri & Pauli*, qui ex iisdem *Totonaquiorum* montibus profluit & ad altitudinem unius & xx grad. exit in oceanum: 10 Huic proximus amnis *de los Cañones*, uti Hispanis vocatur, ubi continens grandem sinum inflexo littoris gremio admittit, navigantibus infidum; Hic *Tuspa* montes terminantur Africum atq; Aquilonem inter expansi, *Tamiagua* deniq; hanc plagam claudit, haud longe à flumine Panuco. Ex quibus liquido patet *S. Ioannis de Vllua* portum singularem plane esse, quem Nova Hispania ad mare hoc septentrionale possidet.

G V A X A C A.

C A P. XX.

Episcopatus Guaxacensis limites: Vallis Guaxaca descripta.

20 **E**PISCOPATUS hic, à provincia principali suæ Diœceseos *Guaxacensis*, ab urbe autem in qua cathedralis Ecclesia constituta est *Antequera* vulgo appellatur: Inter Episcopatum *Tlascalensem*, quem modo descripsimus, & Episcopatus qui ad *Guatemalensem* Præfecturam referuntur medius, patet in longitudinem secundum oræ maritimæ ductum, ad oceanum quidem meridionalem leucas centum, ad septentrionalem vero quinquaginta: in latitudinem inter utrumque mare secus *Tlascalensis* Diœceseos limites centum viginti, ad orientem vero secundum *Chiapæ* provinciæ fines, tantum sexaginta. Multas & perinsignes provincias complectitur, quarum facile princeps *Guaxaca* vallis, sedecim leucas in longitudinem porrecta, quæ 30 primo harum regionum *Domitori* *Hernando Cortesio* nomen *Marchionis del Valle* dedit. Orditur à *Cocole* montis radicibus, in finibus *Guaxolotitlan*, ad altitudinem octodecim graduum septentrionalium (ut *Herrera* testatur) octuaginta leucarum intervallo ab urbe Mexicana versus Austrum: licet autem paucos fontes, rarosq; amniculos habeat, non tamen aquarum in totum indiga est, atq; adeo supra modum est fertilis; Indigenæ *Zapotecarum* idiomate utuntur. Quamplurima hic metalla reperiuntur, auri, argenti, Crystalli atque Chalcanti; & gemmæ quantivis precii, adversus *Nephriticos* affectus & sanguinis fluxum efficacissimæ. Fert præterea & triticum & mayzium quam uberrimè: *Cacao* maxima copia; *Coccinillam* quoq; & *Cassiam* solutivam; arbor quæ hanc fert Mexicanis dicitur *Quauhayohuachtli*; trunco cinereo, 40 foliis *Lauri*, floribus flavis, stellarum in modum racematim pendulis, è quibus fructus notissimi nascuntur; ut scribit *Fr. Ximenez*. Nec oleam aut vitem refutaret solum, quum omnia peregrina semina frugum atque olerum haud maligne patiatur.

In toto Episcopatu vix ullus est amniculus, qui aurum non ferat, ita ut Indigenæ (quibus ne nunc quidem quicquam ad victum aut vestitum deest) omnium rerum copia abundarent, nisi innata segnitie & laborum intolerantia præpedirentur.


50 Cælum hic admodum serenum atque salubre. Hispani hic primum byssum tractarunt, frequentia motorum, quas provincia alebat, allecti, è quarum interiori libro barbari papyrum facere consueverant; nunc autem tantum numerum mororum Europæarum hic plantarunt, ut magnam byssi copiam Indigenæ juxta atque Hispani hic colligant & si Barbari decimas illius solverent, quemadmodum Hispani tenentur, quinque aliis Episcopatibus erigendis annui redditus sufficerent.

Ut autem ea quæ ad Episcopatum in communi pertinent, absolvamus: Trecenti & quinquaginta primarii Indigenarum pagi in eo numerantur; (præter trecentas villas sive prædia rustica;) supra centum & quinquaginta barbarorum vectigalium millia; centum viginti monasteria *Dominicanorum*, & plures clericorum scholæ; Tre-

decim dialecti multum inter se diversi, omnibus tamen commune est idioma Mexicanorum.

Licet harum provinciarum solum (*Guaxaca* valle tantummodo excepta) montosum sit atque asperum, tamen maxima sui parte fertile est, & arbores fructiferas agrestesque, herbas salutare atque etiam noxias sponte sua ubique producit; Inter venenatas autem, unam in valle *Guaxaca* reperiri tradunt, virtute mirabili; nam si quis alterum lento veneno intra annum tollere in animum inducat, ei hanc herbam jam annuo tempore decerptam exhibeat necesse est; sin statim, recentem. Perfamiliaris quoque huic provinciæ est arbuscula, quam *Huitzapcotl* vocant barbari humi serpens, cujus folia in tria acumina desinunt: fert flores rubros, minutos, & in extremis ramusculorum junctos, è quibus enascuntur fructus, forma & mole similes avellanis, cum tribus nucleis interioribus: floret & fert fructus pene omnibus anni mensibus. Quinque nuclei, aut si quis robustior sit septem, demto certo vellere quo teguntur, potenter dicuntur evacuare flegma & bilem, tam per vomitum quam per sedes, tam securè ut vel tantillo cibo sumto, vis medicamenti statim elanguat.

c. XLVII.

lib. XVIII.
cap. 24.

Dubito an hic sit fructus cujus V. C. Car. Clusius iconem dedit hanc sub nomine *Mehenbetene*, quadrat enim non nihil cum hac *Fr. Ximenez* descriptione, quum tres nucleos uno putamine contineat. *Monardes* autem aliam speciem avellanarum purgatricum videtur describere, tenui putamine (quum priores sint ligneo) coloris spadicei, triangulares, medulla interiori alba & dulci, qua Indi se familiariter purgabant. Idem *Clusius* iconem adjecit quam hic adjicimus; qui plura desiderat videat *Dalemchampium*.

Crebris terræ motibus obnoxia erant hæc provinciæ, dum incolæ adhuc gentiles essent, nunc autem, ut ferunt, rarioribus, postquam religionem Christianam amplexi sunt, quod Hispani *S. Martiali* acceptum ferunt, quem *Antequera* templo patronum elegerunt.

C A P. XXI.

Misteca provincia, Tutepeque, Zapoteca, Guaxacoalco.

PR O V I N C I A *Misteca* vulgo dicta in duas partes dividitur, quarum una à soli natura situque alta sive superior, altera bassa, id est, inferior appellatur. Indigenæ autem idiomate multum diverso utuntur. *Misteca* superior inter Mexicanam Dioccesin atque *Guaxacam* vallem interjecta, ab *Antequera* oppido quadraginta pene leucis, occidentem versus divergit: Inferior magis ad oceanum meridionalem declinat. Plerique harum provinciarum amniculi atque torrentes sunt auri feraces, itaque indigenæ cum uxoribus & liberis, annona in decem aut duodecim dies parata sese ad proximos annes sive rivis applicant, & quandiu victus suppetit, auri ramenta studiose indagant & gallinarum pennis indunt: dein ad proximos mercatus se conferunt & aureum pulverem annona aut aliis rebus necessariis permutant, domumque reversi dies noctesque genio indulgent, nec agros colere aut aliud quid operis facere sustinent, neque ante ad auri indaginem revertuntur, quam aut dira necessitas consumto penu illos invitos adigat, aut desidem atque inopem vitam diutius tolerare nequeant: id vitæ genus à majoribus acceptum, posteris suis se tradere dicunt, neque ad alium laborem aut cultum facile possunt traduci. Radices quas officinæ vocant *Mechuacan*, hic ubertim proveniunt, præsertim juxta pagum *Cuattitlan*. Eadem provincia & copiose fert arbores illas quæ exsulant *Carrannam*, de qua supra. In eadem (uti & in Hispaniola & alibi) nascuntur certæ arbores, admodum vulgares, quarum folia sunt similia minori filici; fructus similes avellanis sed paulo minores, minime edules; verum officulo exfecto (quod continent

Fr. Ximenez.

nent rotundum, nigrum, magnitudine majoris pisi, aut globuli bombardici) carnem illius indunt aquæ calidæ, eaque abluunt vestes, nam spumam edunt instar saponis, quæ non minus mundat & detergit. Officula Soli exposita nigerrima evadunt, instar gagatæ lapidis, tornataque & perforata serviunt rosariis, sunt enim lævissima & numquam finduntur; Continent autem pulpam quandam valde amarâ, sapore nuclei mali perfici, quem artifices facile eximunt. Meminit hujus plantæ Monardes sub nomine Sphæricularum Saponariarum, & fruticem pene describit ad eundem modum: uti & Oviedus Historiæ Indicæ lib. ix.

cap. lxx.

In finibus *Cuertlavaca* & *Tequicistepeques* municipiorum, visitur antrum mirabile sub præcelso monte, à monacho Dominicano & aliquot barbaris olim lustratum; descensus in illud angustus, tantum singulos admittit, interius in quadratam aream quinquaginta pedum patescit, ubi aliquot putei sunt cum suis gradibus; ab his via variis anfractibus & meandris, instar Labyrinthi tortuosa ad patientiorem ducit aream, in cujus medio fons scaturit, ad latus autem ostendit se amniculus: hoc iter horæ spacio emensi, quum terminum nullum reperirent, filii beneficio quod ori speluncæ affixerant, remearunt. In iisdem finibus juga montium, quos vocant *S. Antonii*, à quibusdam barbaris incoluntur, quibus putei & fissuræ petrarum pro domiciliis sunt, in quibus cum uxoribus & liberis projecti cubant, nec ab vitæ hujus licet miserimæ consuetudine, ullo pacto se dimoveri patiuntur. Et montium miracula hic commemorantur, bini montes altissimi verticibus ita contiguus, ut utrique cruribus divaricatis insisti possit, radicibus longissime à se invicem disjunctis.

Denique provincias hæc Coccinilla abundare & quidem præstantissima, vel hoc arguerit, quod aliis omnibus, ne quidem *Tlascalensi* excepta, ab institoribus præferatur *Misteca*.

Misteca provinciæ pene junguntur, castellis Mexicanorum olim infessa juga illa, quæ Hispani hodieque *Pennoles* nominant, numero sex, inter Austrum atque Arctum certis intervallis disjuncta; quorum unum, *Itzquitepec* vulgo dictum, sex tantummodo leucis ab *Antequera*, valido præsidio custodire consueverant Reges Mexicani. Vicinæ rupes præter evidentissima auri indicia, plumbi venas aperiunt: Solum per se fert radices quæ saponis usum dicuntur præbere. In *Totomachiapa* municipii finibus, ingens spelunca visitur, immani ore adversus Austrum patens, nonnulli ad dimidiam leucam in illam descenderunt, ulterius procedere prohibent rivuli.

Australi *Guaxaca* vallis lateri, *Tutepeque* provincia jungitur, pagis frequens juxta littus maris Australis, & pene sexaginta leucas in longitudinem procurrens: Aquilonari vero lateri regio quam fluvius *Alvaradi* ut vocant, secatur & paulo magis ad Arctum *Zapoteca*, quæ tota montensis est & petrosa, amplitudine *Misteca* provinciæ haud impar nec minori quam vicinæ provinciæ soli fœcunditate. Indigenæ olim immanes moribus, & continuis bellis cum vicinis monticolis, qui se *Mixes* dici volebant, exerciti; caput provinciæ quondam *Teozapotlan*, ubi Regulus ipso agerbat; pellibus quondam cingebantur, nunc vestibus indui, & capillos tondere & pileos gestare edocti sunt. *Mixes* autem lingua moribusque diversi, provinciæ *Teoantepec* (montem Tigrum sonat nomen) accensebatur; quam provinciam *Ant. Herrera* collocat ad altitudinem sedecim graduum septentrionalium, sexaginta leucis à Soconusco, Liquidambaris imprimis feracem. Ab his diversi sunt *Miges* populi, de quibus mox dicemus.

Provinciæ *Guazacualco* atque *Yluta* nec non & *Cueztlatla* indigenæ, multas ceremonias Iudæorum usurpabant, nam & circumcidebantur, more à majoribus (ut ferebant) accepto, quod alibi in hisce regionibus ab Hispanis hæctenus non fuit observatum.

*Civitates Hispanorum in Diœcesi Guaxacensi, Antequera,
alia: ora item maritima.*

PRIMARIA hujus provinciæ Civitas & Episcopalis sedes est *Antequera*, octuaginta leucarum intervallo distita ab urbe Mexicana versus Eorum; ad viam quæ per Chiapam, ducit Guatemalam, in amœnissima Guaxacæ valle. Annis qui urbem alluit, ex ipso solo erumpit è regione *Cimitlan*, & citus decurrit versus montes *Coatlan*, duabus ab origine & totidem à Guaxaca leucis. Civitas magnifico cathedrali templo est ornata, in quo columnæ è solido marmore visuntur altitudine & crassitie admirabili: quadringentis Hispanorum familiis habitari prodit *Herrera*, verum *Chiltonus* Anglus qui anno 1510 LXX haciter egit, vix quinquaginta Hispanorum familias, plures indigenarum hic agere testatur; omnes autem hujus provinciæ barbaros tributum suum gossypinis togis & Coccinilla, quæ hic latissime nascitur, pendere.

Secunda hujus Diœceseos urbs *S. Illifonso de los Zapotecas* vulgo nominatur, distatque ab Antequera versus aquilonem leuc. viginti; in provincia auri, gossypii & maizii commerciis opulenta; in qua supra triginta millia barbarorum vectigalium censerit scribunt: Ipsa monti superstructa est in regione Barbarorum, quos vocant *Migas*; natio hæc admodum procera est, & quod in America rarum, barbata: lingua illorum rudis & crassum quid sonans instar Alemannorum; feroces & bellicosi, & humanarum carnum appetentes; olim nudi agebant aut cervino tergo supra lumbos accincti, nec perdomari nisi canum venaticorum & molossorum opera poterunt, saltibus & jugis montium ita defensi, ut equis aditus minime pateret: Itaque hanc urbem olim haud supra triginta Hispanos incoluisse ferunt, donec canum metus ferocem hunc populum ad pacis condiciones accipiendas adegisset. Juxta hoc oppidum copiose crescit arbor *Exquahuil*, id est, arbor sanguine manans, quia fundit sanguinem Draconis, gummi jam vulgo notissimum; est autem (ut inquit *Fr. Ximenez*) arbor vasta foliis verbasci, latis & angulosis.

Tertia urbs *S. Jacobi* nomine insignis, & à vallis nomine in qua jacet, *Nexapa* vulgo, distat itidem viginti leucas ab *Antequera* versus ortum, secus viam quæ Chiapam atque Guatemalam ducit. *Chiltonus* jam ante memoratus scribit, hanc arduo colli superstructam esse in provincia *Zapotecarum*, & vix à viginti Hispanis habitari, qui hic à Rege Hispaniarum veluti in præsidio collocati, adversus feras & indomitas nationes, quæ jugum recusant ferre, municipiis & pagis illorum in stipendiorum mercedem distributis.

Quartum oppidum appellatur *Villa del Espiritu Santo*, sita in provincia *Guazacoalco* ad fines provinciæ *Tabascensis*, nonaginta leucis ab Antequera; anno 1522 condita à *Gonsalvo de Sandoval* ad ripam fluminis, tribus à mari leucis: Tenebant olim hanc provinciam bellicosi & præferoces barbari, itaque *Cortesi* primis huius oppidi incolis, multos indigenarum pagos & imprimis *Guecollan*, *Cuiatlan* & *Quezaltepec* attribuit, à quibus hi populi sensim ita perdomiti fuerunt, ut jam jugum haud inviti ferant.

Ad mare septentrionale quidem & ad orientem ora hujus Diœceseos exordium sumit à flumine *Alvaradi*, quod è montibus *Zapotecarum* ortum, per varias provincias, & imprimis *Chinantlam* defluit, & cursu paulum reflexo, per eosdem montes, è quibus primum descenderat, inter flumen *Guazacoalco* & insulam *Sant Ioannis de Vllua* descendit in oceanum septentrionalem.

Guazacoalco autem ingens est flumen; *Cortesi* anno 1522 Tribunum militum *Didacum de Ordas* miserat ut hoc flumen exploraret; qui ostio illius tentato, in ipso ostio trium orgyarum altitudinem deprehendit, in progressu autem longe majorem, ita ut rei nauticæ periti tum indicarent, ad mare australe usque pertendere & quod tum anxie quærebatur, utriusque maris commerciis peridoneum esse: in quo licet frustra fuerint, tamen portus illius commerciis insularum valde est opportunus: Solum illi adjacens pascendo pecori aptissimum existimatur.

Linschotanus noster inter utraque hæc flumina intervallum constituit quinquaginta leucarum.

Ad eandem hanc oram descendit in mare fluvius, quem *Herrera* nonnumquam *Agualulco* alibi etiam *Aquiavilco* nominat, dimidia à mari leuca, centum & nonaginta passus latus, ita ut commodum navigiis portum præbere valeat.

Ad eandem oram *Roca partida* jacet, continentis Promontorium, à notissimis *S. Martini* montibus descendens, naufragiis plurimarum navium, quæ cæcis rupibus, quæ seriatim littori objacent, impactæ perierunt, infame: Hi montes à præternavigantibus studiose observantur ad cursus rectè instituendos: exporrigunt se inter eorum & vulturum, distantque ab æquatore septemdecim gradus & quadraginta octo scrupula.

Ad oram vero maris meridionalis, habet hæc Diœcesis portum *Guatulco* (quem alii vocant *Aguatulco*) quindecim gradibus & triginta vel quadraginta scrupul. ab Æquatore versus Arctum: Amplissimus est portus & qui plurimum frequentatur; omnes enim naves quæ merces Europæis & Novæ Hispaniæ, subvehunt Peruviæ, hinc ut plurimum solvunt. Fortissimus Eques *Franciscus Dracus*, expeditione illa qua totum orbem circumnavigavit, hunc adiit anno 1578, oppidumque expugnavit & diripuit: Idem rursus à *Thoma Candishio* anno 1572 captum & direptum, templumque una cum teloneo regio exustum.

In eadem ora & *Tecoantepeque* recensetur, modicus portus cum adjuncto municipio satis frequenti, quadraginta quinque leucis ab Antequera; ad quam ab hoc portu via usitatissima pertinet per *Chontales*, *Nexapam*, & *Mexaltepeque*: jacent & complures alii pagi secundum Maris australis litus, qui omnes Episcopatu *Guaxacensi* subsunt. Habet & alium hic portum sed modicum, quem barbari appellant *Tecuanapam*; per quem fluvius *Ometepec*, qui sub montibus *Xicayan* è variis paludibus oritur (in quas plures torrentes à montibus *Cacatepec* defluunt) navigabili alveo in oceanum descendit. *Ometepec* autem quinque supra ostium leucis, recipit in se ab una quidem plaga *Tlacolulam*, ab altera *Tlacomamam*: quorum hic è montibus *Atoyaque* & *Amusgorum* jugis oritur quindecim ab ora maritima leuc. est statim minorum navigiorum patiens per multos barbarorum pagos placidè descendit: ille vero juxta *Chilfiztlavacam* defluit, navigiorum impatiens, præterquam duabus supra confluentem leucis. Huic quidem *Tlapa*, *Tlacamama* vero adjacet provincia *Tututepec*. Atque hætenus de utraque ora Diœceseos *Guaxacensis*.

M E C H O A C A N A.

C A P. XXIII.

*Mechoacane provincie limites, cæli solique qualitates, arbores
varia atque planta.*

MECHOCAN, idiomate Mexicano locum piscosum, ut volunt, denotans, ante Hispanorum adventum in hæc partes, principatus fuit, nulli alteri obnoxius; ab eo hodie nomen sortitur Episcopatus, inter Archiepiscopatum Mexicanum, & provincias novæ Galæciæ medius: patens in latitudinem secundum littorum ad mare Pacificum ductum quidem leucas octuaginta, in mediterraneis vero sexaginta: longitudo illius incerta est: nam à mari australi in fines barbarorum *Chichemecarum* penetrat longis quidem sed incertis spatiis. Complectitur plures provincias, de quibus mox dicam.

Aëris temperies pro diversitate provinciarum multum diversa est, alibi frigidior, alibi temperior, nonnusquam quoque præfervida; ubique tamen jucunda atque salubris adeo ut ab aliis provinciis multi recuperandæ valetudinis gratia dicantur accurrere. Plurimi hic sunt lacus & stagna, multi amnes, innumeri fontes aquarum dulcium & salubrium, quæque pecora mirum in modum saginent: nec non scaturigines calidæ & balnea ferventia juxta atque modicè tepentia.

Cæli clementiæ accedit eximia soli ubertas, quod nunc in planiciem & lætissima pascua se sternit, nunc assurgit in modicos colles, non raro quoque in excelsos

Fr. Xi-
mencz.

montes se attollit qui procerissimis arboribus vestiuntur. Maxima hic est anno-
næ abundantia; nam triticum, hordeum, atque alia farris genera, tanto cum fœno-
re à tellure redduntur; ut memoriæ proditum reperiam, quatuor hanegas tritici fa-
ras, in messem sexcentarum hanegarum exuberasse, & *Fr. Ximenez* testetur tritici
Europæi spicas tres quatuorve alias ex se veluti parere. Sed operæpretium fue-
rit aliquot arbores & plantas quas nobilissima hæc provincia vulgo producit, paulo
prolixius hic describere. Inter arbores facile primum locum sibi flagitat; *Xochico-
palli* arbor mediocris, foliis menthæ Saracenicæ, licet non tam profunde dissectis,
quæ terna conjunctim ramis adhærent; truncum & corticem habet valde odoratum,
qui exsudat liquorem coloris leonini, perfecte redolentem limones, qui easdem fa- 10
cultates obtinet quas reliquæ species *Copal*, ita ut species illius judicetur.

Secundum locum meretur, species *Mizquitl* (de qua supra) quam hic vocant
Tzintzequam, caret autem spinis, foliaque habet magis subtilia quam vulgaris *Miz-
quitl*: cæterum & cassiam producit, atque gummi Arabicum.

Tertium *Quauhpatli* Mexicanis, Mechoacanis *Chupire*, id est, planta ignea;
arbor similis lauro, pulchra & grata aspectui, foliis paulo majoribus & latioribus
quam sunt Amygdali; floribus compositis in modum rosarum; ita ut videatur esse
frutex ille quem Dioscorides vocat Rhododendron, officinæ Leandrum, & Castel-
lani Adelpham, ob singularem autem illius acrimoniam, proverbio usurpari solet, de
fœminis quæ in amore non respondent, Adelpham illis aquam infectare. Succus illius 20
naturâ abradit, nihilo tamen secius affirmant barbari, in potu exhibitum quantitate
duorum scrupulorum, commodissime evacuare humores pituitosos in iis qui Cacohe-
xia laborant, præsertim si malum oriatur è causâ frigida: sed mihi (inquit *Ximenez*)
non fit verisimile tam vehemens medicamentum per os sumi posse sine discrimine:
itaque potius, quod & barbari fatentur, umbelico applicandum censeo, exigua
quantitate, nam & ita corpus purgabit. Est quoque præsens remedium adversus ex-
ternos corporis morbos, impetigines, scabiem & similes. *D. Fr. Hernandez* improvide
succum hujus arboris sumens magnum vitæ periculum adiit; non desunt qui plan-
tam venenosam & homini exitialem judicent; gaudet maxime locis humidis & riguis.

Quartum; *Copalxocolt* sive ut ipsi vocant *Pompoqua*, arbor foliis cerasi nostratis, 30
fructus ferens similes exiguis pomis, dulces quidem sed valide adstringentes, quique
exsudent salivam quandam valde viscosam, (unde ab Hispanis cerasa gummosa ap-
pellantur:) quæ applicata sanat febres & sanguinolentas dejectiones. Materies hu-
jus arboris commodissima est ad imagines sculpendas, nam præterquam quod fa-
cile secetur, numquam se findit aut facile sentit cariem: accedit ad odorem &
saporem *Copal*.

Inter Frutices memoratur *Maripenda*, quæ truncum habet circiter viginti pal-
mos altum, ramos nigricantes, folia similia ferro quo spicula asperantur, lata &
crassa, superiore parte viridia sed subpurpurascens, è rubro pediculo pendula: fert
fructus racematim collectos, (longitudine sex palmorum) instar uvarum, sed rariores; 40
qui primo sunt virides, dein rubri, denique obscurè purpurei. Barbari sumunt stolo-
nes & ramulos hujus fruticis (nonnumquam & semina) & minutatim concisos tan-
tisfer ebulliunt in aqua, donec illa conspissetur & Syrupi consistentiam acquirat:
Sanat mirabiliter vulnera etiam difficillima curatu, sistitque sanguinem in re-
centibus plagis.

Item *Chupiri* aut *Charapeti* frutex qui agit radicem grossam & longam, extus co-
lore inter luteum & candidum, intus nonnihil rosso; è qua enascuntur aliquot trun-
ci, & multi rami tenues, longi, colore obscure viridi, quique inclinatur ad cæru-
leum, teretes, glabri, pleni foliis instar aurantiæ, verum majoribus: floribus luteis &
stellatis: non obtinet odorem aut saporem notabilem. Indigenæ autem maximi 50
faciunt hanc plantam, feruntque cæteris omnibus longè præcellere ad mitigandos
dolores è lue venerea ortos; curareque debilitates nervorum; sanare scabiem & alia
pertinacia corporis vitia, quæ aliis remediis tolli nequeunt: Utuntur radice
hoc modo; unciam unam in sedecim sextariis aquæ ebulliunt tantisper donec tertia
pars consumatur; hujus decocti sumunt quotidie mediam libram, observantes eun-
dem ordinem qui servatur in potione Guayacan: sanat tumores, plagas & alia vitia
orta

orta è lue venerea; resolvit tumores capitis, tam potum quam foris applicatum, sistit dysenteriam; excitat appetitum ciborum, & nutrit debiles.

Habetur hîc & species *Brasil*, frutex qui Tarascis vocatur *Cuburaqua*, Mexicanis *Quammochitl*, *Huitzquahuitl*, spinosus, agens radices candidas & furculosas, è quibus prodeunt caudices exterius vergentes ad colorem rossum, interius sature rubentes, contorti & pleni foliis pene figura cordis cum multis venulis, quæ discurrunt à medio foliorum ad oras. Reperiuntur hic & aliæ duæ illius species, quarum una vocatur *Pinguiqua*, altera *Iacua*; omnium materie tingitur color coccineus.

Herbarum tantum paucas & nobilissimas recensèbo: *Curutzeti* vel *Aphatzi*, *Punt-*
 10 *zumeti* quam (inquit *Ximenez*) Afarum Mechoacan possemus vocare: Folia habet mediocriter subtilia, & admodum similia viti, plena sinibus crenatis, superiori parte viridia, inferiori aspera: caules cubitum altos, læves, lentos, teretes atque tenues; flores subtiles, flavos, instar capillitii, quibus innascuntur semina nigra & valde minuta; radices multas, longas & tenues, instar Hellebori albi. Solæ radices usurpantur in medicina, suntque sapore acri & mordaci, suaviter olentes muscum; calidæ & siccæ in tertio gradu & subtilium partium: pulvis illarum sumtus cum vino, aut aqua buglossi, aut citrei, quantitate dragmæ, mitigat dolores Nephriticos, munda renes ab omnibus excrementis superfluis; corroborat ventriculum è causa frigida debilem; adjuvat concoctionem, aufert cruditates, aperit obstructa,
 20 movet menses, prodest utero, discutit flatus; Denique est egregium antidotum contra venena.

Acuitze huarira quam alii vocant *Chipa huatziz* & *Zozataquan*, Hispani autem ob singularem illius virtutem, *Inimicam Venenorum*: Est nobilissima planta, quæ folia obtinet Rumicis ab ipsa radice prodeuntia, caules teretes, sesquipalmum altos, tenerosque; in quorum fastigio enascuntur flores minuti è candido rubescentes, in orbem accumulati, radicem rotundam similem malo cotoneo minuto, intus candidam, foris auream; quæ potissimum in medicina usurpatur; est enim temperatæ facultatis, vergentes nonnihil ad frigiditatem & humiditatem, saporis grati & dulcis; succus aut aqua ex illa extracta, quavis quantitate hausta, mitigat ardores febrium,
 30 corroborat cor & est efficax & securissimum antidotum contra venena & venenatorum animalium morsus, ut scorpionum, &c. præstatque officium nobilissimi alexipharmaci, præsertim si radix contrusa forma emplastri simul applicetur parti læsæ. mitigat dolores renum, temperat urinæ acrimoniam; excitat appetitum, dissolvit tumores gutturis; lenit dolores pectoris; & virtute quâdam occulta & admirabili, pene medetur omnibus morbis, quocunque modo adhibeatur.

Quibus accedit *Tlalamatl* (quam alii vocant *Tlalcimatl* five *Cimatl* humilem & Hispani herbam Joannis Infantis, quia per ipsum primo innotuit; Mechoacani *Yurinitaquaram* & alii *Cureci*) quæ producit folia quasi rotunda, per ordinem terna, similia herbæ quam Latini vocant Nummulariam; caules purpureos, humi serpentes; flores rossos ad modum spicarum; semen exiguum & rotundum; radicem longam, tenuem & fibrosam. Est frigida & sicca, astringensque. Sanat plagas recentes & veteres; tumores quoque & abscessus dicitur maturare; sistit vomitiones: Contusa & quantitate duarum dragmarum pota mitigat & dolores è lue venerea natos, evacuatque quosvis humores noxios: applicata oculis corrigit inflammationes: Denique necat pediculos. Hæc è *Fr. Ximenez*: meminit hujus plantæ Monardes apud
 40 Clusium in exoticis. cap. xvi.

Pehuame vocatur Mechoacanis, planta illa (inquit *Ximenez*) quam Dioscorides appellat Aristolochiam clematidem, quam numquam mihi contigit in Hispania videre, ne quidem pictam; quæ si nota esset, non tanti fierent aut Radix Chinæ aut Zarzaparilla, siquidem facultatibus longe utrique præstat. Est autem herba volubilis, foliis figuram cordis referentibus, sed minutis; floribus purpureis, qui cætera non absimiles sunt cæteris Aristolochiæ speciebus: radice longa, crassa & subrubenti cortice recta; quæ præcipue in medicina usurpatur: est acris, odorata, calida & sicca in tertio gradu & tenuium partium: decoctum illius eadem methodo præparatum, qua radix Chinæ aut zarzaparillæ, servataque eadem victus ratione, mirifice sanat quosvis affectus è causa frigida natos, atque adeo luem Veneream; curat tussim
 50 inve-

inveteratam; discutit flatus; comminuit lapillos in renibus & vesica: movet menses, accelerat partum, aperit obstructa, &c. Barbari numerant hanc plantam inter præstantissimas.

De Radice purgativa *Mechuacan*, quæ jam notissima est, operæpretium fuerit *Fr. Ximenem* audire. Radicem inquit purgatricem Mechoacani appellant *Tachua-che*, Mexicani *Talantlaquacuitlapille*, & aliæ nationes *Pusquam*: tres illius reperiuntur species, quarum duæ sunt mas & fœmina quæ forma & facultatibus conveniunt, habentque radicem longam & crassam, è qua lacteus liquor emanat: ex hac procedunt caules tenues & volubiles, cum minutis foliis forma cordis, floribus longis & rubicundis; qui producunt fructum similem peponi (ita verto *Pepino*, quod est in 10 Hispanico, nescio an rectè) figura & mole, candida cute tectum, plenum semine candido minuto & lato, cum certis filamentis instar gossypii, quæ difficulter rumpuntur. Radix est calida & sicca in quarto gradu & si ore gustetur adurens, unde si hic aliorum mores imitari vellem, multum reprehenderem illos qui multa imprudenter & ignoranter de illa scripserunt. Purgat omnes humores per inferiora, præcipue pituitosos; sumendo dragmam unam cum dimidia, aut ad summum duas ex aqua aut vino aut jusculo, vel cum ovo recenti, sumitur enim hoc modo facile & sine nausæa. Quidam succo illius expresso utuntur loco scammonæ, ad cujus species arbitrantur pertinere, & conficiunt ex illo tabellas cum saccharo, quas mirificè ajunt operari: Solent alii radicem quantitate sex dragmarum in pulverem redactam & in 20 sex unciis aquæ noctu maceratam mane exprimere & percolare, & aquam illam exhibere; soleo isti aquæ miscere unciam Syrupi de Matlatztic aut Zarzaparillæ aut foliorum senæ, atque ita purgat sine omni molestia. Tertia species nascitur potissimum in nigro solo locis petrosis, hujus radix est magis gracilis, è qua quantitate duarum dragmarum componitur electuarium purgans cum xx dragmis Sacchari, Tzautli sive tragacanthæ, quo leniter evacuantur, cholera, flegmaque, nec puto in India reperiri medicamentum quod hocce superet. Alii ex decocto illius conficiunt syrupum, qui quantitate trium unciarum sumtus egregie prædictos humores purgat. Oportet siccare radicem & servari toto anno; sed in colligendo vitanda est radix non admodum illi dissimilis quæ præsentissimum est venenum. Quum *D. Fran-* 30 *ciscus Hernandez* scriberet, quem hætenus sequimur, nondum tam probe cognita erat hæc radix; postea enim plures illius species sunt repertæ, magis lenes in operando, licet tres illæ species ab ipso notatæ celeberrimæ sint. Prima est quam Hispani vocant *Mechoacan* à loco ubi primum inventa fuit; cujus in illa provincia & in Guadaluayara, duæ reperiuntur species; una venenosa quam author noster vitandam monuit, altera quæ moderatè purgat; utriusque radix grandis est & crassa, sed nobilis est major. Alia est species est quæ *Matlalixtic* vocatur, multo minor præcedenti, quam quidam frigidam faciunt, haud intelligentes purgantium medicamentorum facultates quæ nullam frigiditatem admittunt. hæc remissius purgat quam præcedentes, atque omni ætatum & sexuum generi exhibetur, etiam prægnantibus sine 40 noxa. Alia species appellatur *Xalapa*, hæc longe potentior est cæteris licet mole sit minor, evacuat generatim omnes peccantes humores, sed summa vigilantia opus est eo die quum sumitur atque adeo sequenti. Ex hac Syrupum conficiunt, admodum utilem iis qui variis morbis laborant: ejus compositio talis est. Recipe Radicum *Xalapæ* uncias quinque; Polipodii duas; Hermodactylor. unam: Florum cordialium & jujubarum ana pugnum unum; Cinnamomi, nucum muscat. ana dragmas duas & semis, frangantur & macerentur in sex quartillis aquæ per integram noctem: dein coquantur secundum artem donec medietas consumatur; colaturæ addantur duæ libræ sacchari & percoquatur donec syrupi spissitudinem acquirat; denique quum pene refriguit, misceantur octo grana exquisiti musci. Monendi sunt qui se 50 purgant istis radicibus, ne postero die sumant saccharum rosatum, aut aquam; sed potius pectusculum avis alicujus, aut carnem ovillam assam, nam alias facile recidivam purgandi patiuntur ægri non sine discrimine. Omnes species copiose reperiuntur in Nova Hispania; maximam radicem habet *Matlalixtic*, huic proximam *Mechoacan*, multo minorem venenosa species: omnium minimam *Xalapa*, licet rotundiorum & longiorum. Omnes autem sunt calidæ & siccæ in quarto gradu, excepta

excepta, solum *Matlalitztic* quæ moderatè calet & lenissime purgat, ideoque securius usurpatur. Ex quibus apparet quam parum fidei adhibendum sit Monardæ & Alfonso Inoioso in iis quæ de his radicibus scripserunt. Non differunt autem hæ plantæ in foliis, floribus aut fructibus, nisi ratione soli, quo fit ut alibi majores, alibi minores nascantur; tantum flores nonnihil variant colore, qui fere ceruleus est, sed aut obscurior aut dilutior.

Cæterum vix ulla fructiferarum arborum, quas Europa fert, hic jam desideratur: etiam uvæ ad maturitatem dicuntur pervenire. Moros præterea complures Hispani hic plantarunt, & bombyces nutrire cœperunt, unde præstantis byssi hic ¹⁰ magnus est proventus. Dat præterea provincia non illaudatum glastum vulgo *Anil*: & fructum ceratiæ siliquæ (vulgo *Caroba*) non absimilem qui Sumach sive Rhoes coriariæ vicem implet, frondes autem ad vitra conflanda utiliter adhibentur. Deniq; & Coccinillam ferunt provinciæ quæ *Chichimecas* proxime attingunt sed illaudatiore.

C A P. XXIV.

De animantibus hujus provinciæ, & moribus Indigenarum.

ARMENTORVM pecorumque in hisce provinciis ingens est numerus, uti ^{Her. d. 3.} & jumentorum, quibus indigenæ jam omnia onera subvehunt, ^{l. 3. c. 9.} humeris suis ²⁰ parcentes: præterea caprarum & porcorum Hispaniensium tanta copia, ut maximis gregibus per sylvas sine certis dominis vagentur: Apri in montanis multi, aliæque feræ, ut lepores, cuniculiæ, quoque in quibus Bezoar invenitur; quæ sunt certæ rupicapræ, quas hic vocant *Theotlalmazames*, mole mediocrium caprarum, aut paulo majores, villis coloris leonini, qui facile auferuntur, verum ad latera albis, cornua habent juxta originem lata, divisâ in paucos ramos, exiguos & teretes & præacutos. Reperitur & in aliis quas vocant *Mazatlchihiltic* sive *Themamazame* quibus vastissima sunt cornua.

Notandum autem in Nova Hispania quoque reperiri (ut scribit *Ximenez*) lapides illos fossiles, (quos Arabes similiter vocant *Bezoares*, quia pollent eadem virtute contra venena,) præsertim in fluvio *Detzhuatlan*, varii generis & formæ, qui ab undis ³⁰ deducuntur è montibus, qui abundant bolo armenia.

Non caret quoque Regio ferocibus & noxiis animalibus; nam & leones alit & lupos & *Adibes* pecori imprimis infestos: Tigres autem hominibus, de quibus postquam semel gustarunt, in tantum efferantur, ut illos è tuguriis abreptos dilanient atque devorent: Verum Hispani jam bombardis suis quamplurimas necarunt. Sciuri tuguria irreparabili damno suffodiunt: Vulpeculæ vero urinæ suæ gravissimo odore, quæcunque contigerint, ita inficiunt, ut vix quadraginta diebus fætor evanescat, vestes vero penitus corrumpantur. Gallinæ, columbæ, palumbes in infinitum ⁴⁰ auctæ; nec perdices desunt, phasianæ atque turtures. Plurimæ hic sunt *Auræ*, incertæ originis aves, gallinarum magnitudine, nigrae, caput & collum fetis quibusdam tectæ, tetro aspectu, sublime volant, cadaveribusque quæ è longinquo odorantur, pascuntur: (de quibus jam ante plenius) præterea innumeræ aliarum avium species, quæ statis tempestatibus versus Arcum abscedunt, redeuntque; multæ denique quæ raptu vivunt: Serpentum & viperarum, venenatorumque insectorum & reptilium nequaquam hic tanta, quanta in cæteris provinciis, copia.

Indigenæ olim quatuor potissimum idiomata usurpabant, multum inter se diversa, Chichimecarum, Otomitarum (nam hæc natio hic quoque suas sedes habuit) Mexicanum quod toti Novæ Hispaniæ commune fuisse jam supra monuimus, & denique Tarascum, quod hujus gentis proprium erat & vulgare, concisum atque ⁵⁰ elegans; id nomen huic idiomati inditum fuit ab Hispanis à *Tarascue*, quo nomine barbari generos suos designabant; indigenæ enim, quum primum Hispani hæc provincias intrarent, ipsis gnatas suas hac voce *Tarascue* ultro in conjuges offerebant. De amictu illorum, veteribusque moribus & institutis nihil attinet dicere; Omnes enim jam vestiuntur tunicis è panno gossypino & laneo, Hispanico more confutis, & pileos gestant: fœminæ quoque juxta ac mares promiscue callent idioma Hispanicum: & siquidem industrii sunt, plurimas artes mechanicas exacte didicerunt:

cerunt: nam quum Brasiliū lignum, aliæque materies abunde suppetant, cistas, scriniaque atque alia fabrilia opera elegantissime absolvunt; byssum quoque & alias peregrinas fruges excolunt sedulo; armenta, jumenta, pecudesque nutriunt: canibus autem supra modum delectantur, quorum multi in montana diffugiētes, ibidem ita efferantur ut pecori insignem vastitatem adferant, ipsi vocant *Cimarrones*. Pingunt satis eleganter; factores & futores sunt gnavi; denique ex ære, quo abundant, lebetes longe optimos, ligones, aliaque instrumenta concinnant rustica. Dum adhuc paganis superstitionibus tenerentur, firmiori longe valetudine fruebantur quam hodie, parciori quippe victu contenti & à Regulis suis assiduo labore exerciti. Antiquissima illis consuetudo frigidâ se abluendi, à qua necdum deterreri possunt, nam quoties à febre tentantur, nudi aquæ sese immergunt, itaque & morbum augent, & nō raro sibi exitium maturant. Hispani Mechoacanā quum ante Regnum esset, in Episcopatum verterunt, in cujus Diœcesi supra centum quinquaginta municipia numerantur, quorum nonaginta suas habent scholas: parochiæ autem circiter quinquaginta jam dudum suos habuerunt sacerdotes & clericos, qui omnes provincialium linguam callentes, indigenis concionantur, audiunt confitentes & populos suo quoque idiomate instituunt, præterquam Otomitico, ob inconcinnam illius brevitatem atque asperitatem; plurima quoque sunt monasteria Dominicanorum & ordinis S. Augustini: Et vix ullum est municipium quod non habeat suum Nosocomium in quo ægri magna sedulitate curantur. Denique plerique Indigenæ jam Christianam religionem profitentur, & maxime Tarasci, qui urbaniores & maxime dociles prædicantur. Corollarii loco hic addam, quod ab *Acosta* traditur: Elegantissimæ (inquit) plumariæ icones conficiuntur in Mechoacanæ provinciæ municipio *Pascuaro*: ordo operis ejusmodi est: exiguis admodum forcillis plumulas subtiliores ex avium exuviis detrahunt, & delicatissimo glutino, ad hunc usum industrie præparato, apte conjungunt atque concinnant, mirabili juxta dexteritate & celeritate; utuntur autem potissimum plumis minutissimarum avicularum, quas in Peruvia *Tomineos* vocant (supra descripsimus sub nomine *Huitzitzil*) aliarumque, quæ præter colorum varietatem mirum in modum resplendent. Atque hæc de hujus Episcopatus provinciis in communi dicta sunt.

CAP. XXV.

Particulares provinciæ quæ sub hac Diœcesi comprehenduntur, & oppida quæ in singulis ab Hispanis habitantur.

DIOECESIS Mechoacana, præter provinciam quæ proprie & peculiariter id nomen sibi vendicat, complures alias comprehendit, de quibus paucis agemus.

Provincia quæ proprie jam olim *Mechoacan* appellabatur, principium sumit à pago *Taximaroa*, triginta leucis ab urbe Mexicana versus occidentem, ad quem Hispani, postquam Imperium Mexicanum evertissent, primum accesserunt; erat autem tum pagus hic palis ligneis undiquaque munitus adversus Mexicanorum, cum quibus Mechoacani jugiter bellum gerebant, impressiones. Imperabat tum isti Provinciæ Princeps, cujus nomen erat *Tangaiwan Bimbicha* qui ultro venit ad Cortesium, eique se subjecit, anno 1522 unde à Mexicanis nomen meruit *Cañonzin*, quod calceum detritum sonat: sedes imperii erat *Zinzontza* ubi Hispani primam coloniam habuere. Narrat Herrera in hac provincia anno 1525 inventam fuisse longe opulentissimam Argentifodinam, verum quum Ministri Regales, qui tum Cortesio absente, omnia pro libitu agebant, eam fisco addicere niterentur, subito disparuisse nec unquam post illa visam. Porro Nonius de Guzman Præses Conventus juridici Mexicani, miserum hunc Regem, jam Christianum, perduellionis, falsò, ut ipsi Hispani credunt, accusatum inaudita crudelitate vivum concremavit.

Primaria hujus Diœceseos civitas, in provincia Mechoacana, Hispanis dicitur *Valladolid*, barbaris *Guayangareo*, ad quam demum, sedes cathedralis fuit translata: omnium

omnium enim primo fuerat in *Zintzontza*, primus autem Episcopus *Vascus de Quiroga* eandem deduxerat *Pascuarum* aut *Fatztzam* distantem quidem à Mexico leucas septem supra quadraginta, itinere plano & expedito ab æquatore (ut *Herrera* prodit) gradus novemdecim versus Arctum, nisi forte in numero error est, nam ipse alibi & fere omnes Tabulæ geographicæ hanc urbem submovent ad gradum vigesimum & aliquot scrupula: Denique cathedralis sedes fuit translata Vallisoletum anno c1o 1o XLIV, quod oppidum distat à Pascuaro leucas septem versus orientem: haud procul ab hoc oppido lacus visitur, Mexicano ut ferunt longe major, & qui vel minima tempestate ingentes fluctus tollit; plurimis lintribus & scaphis navigatur, quia varii generis pisces hic capiuntur, præsertim minuti quidam, quos ad solem indurant, & magno emolumento in varias provincias venales transportant.

Secundum locum meretur oppidum *S. Michaëlis*, in eadem provincia situm, triginta & quinque leucis à Pascuaro versus aquilonem; quadraginta autem à civitate Mexicana versus Favonium; in solo quidem plano, sed nonnihil aspero, secus viam quæ ducit ad Zacatecenses argentifodinas: atque hæc via initio sui quidem satis tuta est, verum ubi paulum progressus fueris, ob varios flexus atque reflexus, admodum periculosa judicatur, ob feroces barbaros, qui montana incolunt, quæ Hispani appellant *del Vizcho*, hi enim ex improvise, è latebris atque sylvarum abditis, montibusque erumpentes, adoriuntur itinerantes, eosque spoliant & non raro occidunt. Cæterum oppidum incolis frequens est, & in illius agro plurima sunt prædia rustica & pascua imprimis læta.

Tertium poscit urbs *S. Philippi*, distans ab oppido Vallodolid Mechoacanæ, quinquaginta leucis versus Arctum, & à Metropoli Mexicana duabus & sexaginta versus Corum, in solo frigido atque effæto. Monasterium habet ordinis *S. Augustini*. Utrumque hoc oppidum *S. Philippi* & *Michaëlis* conditum fuit à ViceRege Ludovico Velasquio, ad securitatem Tarascorum & Otomitarum qui in illis regionibus degunt, & præsidium provinciæ *Xilotepeque*, adversus barbarorum Chichimecarum latrocinia & rapinas, à quibus antea mirum in modum infestabantur. Licet autem vicinus ager cujusvis animalium generi conveniat, tamen maxime idoneus judicatur armentis, quia hæc animalia, jam pene in infinitum aucta, siccis atque sudis anni mensibus se in Tunarum silvulas recipere didicerunt, & pluviis rursus in patentes campos pabuli gratia progredi.

Præterea urbs *Concepcion de Salaya*, à Vicerege Martino Enriquez demum anno c1o 1o LXX condita fuit, itidem ad itinera magis tuta præstanda adversus barbarorum latrocinia distat ab oppido *S. Michaëlis* leucas tantum octo, à Mexico triginta & quinque, à Vallodolid denique septemdecim.

Urbs *Leon* distat ab oppido Vallodolid leucas quatuor & viginti, à Metropoli Mexicana sexaginta, in agro illius varia argenti metalla celebrantur.

Zamora denique distat à Pascuaro tredecim leucas: *Villa de Lagos* triginta à Vallodolid.

Argentifodinæ *Guanaxuati* viginti & octo leucis à Vallodolid versus Arctum, & provinciam Zacatecarum; juxta utrasque ut plurimum sexcenti Hispani cum suis servitiis sua habent stativa. *Talpuagua* autem fodina abest viginti quatuor leuc. à Metropoli Mexicana. Atque hæc quidem oppida ad Mechoacanam proprie dictam pertinent.

Porro hujus limites contingunt ad Arctum, vastæ solitudines Chichimecarum, *Queritaro*, *Acanoaro*, *Turirapandaro*, & *Sichu*, confines, circiter triginta leuc. ab urbe Mexico versus occidentem, quæ se inter Austrum & Arctum longissime exporrigunt in immensum terrarum spatium. Chichimecarum autem nomine designantur plurimæ nationes, linguis, ingenio atque institutis plurimum diversæ, *Panues*, *Capuzes*, *Samues*, *Zanca*, *Matolia*, *Guamares*, *Guachichiles* alii, divisi quidem inter se, sed immanitate morum simillimi: Qui quantum terrarum ab Hispanis inde ab oppidis *S. Michaëlis* atque *Philippi* tam ad occidentem quam septentriones hætenus exploratum, occupare dicuntur, quod non minus quam ducentas, ut volunt, leucas extenditur; insigni soli ubertate & aëris temperie, magis calida quam frigida, sicca quam

humida, ideoque & salubri. In hisce autem regionibus passim magnorum oppidorum & municipiorum vestigia & rudera ab Hispanis observata produnt, indicio minime vano, & agros hic olim laboriose cultos fuisse, & ædificia illa quondam à gentibus magis industriis & cultioribus fuisse structa, quam sint Chichimecæ qui hodie hic agunt: Nam Chichimecis hisce sub tectis degere aut sementem facere insolens, paucis illorum exceptis; Etenim ut breviter absolvam; Hi barbari neque ullam religionem colunt, aut ullam reipublicæ formam norunt, sed passim vagantur in sylvis & solitudine in modum ferarum, omnibus limitaneis Novæ Hispaniæ provinciis adeo infesti, & pecora abigere, sata corrumpere, agris vastitatem, agricolis exitium adferre sueti; ut ne nunc quidem Hispani ab illorum injuriis se suosque vectigales com- 10 mode queant tutari.

Ad austrum & quidem ipsum Oceanum Australem (nam mare septentrionale nusquam hæc provincia attingit) habet hæc Diœcesis duas alias provincias *Zacatulam* atque *Colymam*.

Zacatula oppidum vulgo appellatur *Concepcion* atque etiam provinciæ nomine *Zacatula*, distans ab Æquatore gradus octodecim & aliquot scrupula; quadraginta leucas ab oppido *Valladolid* versus Africum, à Metropoli Mexicana circiter nonaginta, à mari Pacifico unam & dimidiam: Condiderunt Rodericus de Villa fuerte & Simon de Cuenca; ad ripam fluvii satis ampli (de cujus origine supra diximus,) qui infra oppidum duobus ostiis in mare exit. 20

Colyma oppidum ejusdem cum provincia nominis, jacet ad altitudinem octodecim graduum & aliquot scrupulorum (ut quidem *Herrera* tradit, verum si orarum ductum sequamur & Tabulas Hydrographicas, superat nonnihil altitudinem novemdecim graduum) ad confinia Novæ Galæciæ, quinquaginta leucas à Metropoli Mechoacanæ versus Africum; in regione fecunda, & Cacao, cassiæ solutivæ, aliorumque fructuum feracissima, & auri venis opulenta. Indigenæ à morum comitate imprimis laudantur ab Hispanis, licet olim cum *Ympilzingis* vicinæ provinciæ incolis, acerrime restiterint Hispanis, & vix tandem sub jugum missi fuerint. Ædificata hæc urbs jam anno 1522 à *Gundisalvo de Sandoval*, decem ab Oceano leucis, ad ortum à flammivomo quodam monte, qui in hisce finibus visitur. 30

Habet eadem provincia *Colyma* duos non ignobiles portus, cum suis municipiis haud procul à finibus Novæ Galæciæ, quorum unus ab Hispanis *Navidad*, alter *S. Iago de buena Esperanca* appellatur; quorum ille à navigantibus ad Philippinas Insulas plerumque aditur. *Thomas Fullerus* (*Thomæ Candishy* navis gubernator) *S. Jacobi* portum observavit ad altitudinem octodecim graduum & quinquaginta scrupulorum, septem milliar. Anglica à Nativitate: ora ortum atque occasum inter directè exporrecta: *Candishius* hic aliquandiu cum suis navibus in anchoris constitit, nautæque illius paucas uniones hic piscando deprehenderunt; nam omnis hæc ora olim margaritifera ostrea nutritivæ dicitur, fortassis & hodie. Deinde Nativitatis portum adiens, ædificia ibidem omnia diripuit & exussit, cum duabus navibus du- 40 centarum tonnarum quæ ibidem struebantur. Atque hinc processit ad tutissimam navium stationem milliari uno à Nativitate, (*Malaccam* videntur vocare Hispani;) à qua duorum milliarium itinere intra continentem distat *Acatlan* pagus triginta circiter domorum cum modico templo.

Tota autem adjacens Regio abundat æris metallis, partim ita mollis & ductilis ut indigenæ elegantissima vasa ex illo conficiant, partim ita duri, ut instrumentis rusticis ex eodem fabricatis tellurem haud secus profcindant quam ferreis: ejus tamen usum indigenæ ante Hispanorum adventum dicuntur ignorasse. In eadem & præsertim in finibus *Acatlan* nascitur species quædam Chinæ, uti videtur; quam barbari vocant *Cozolmecatl* sive *Olcacazan*; quæ planta radicem fert grossam, quasi 50 rotundam, rubram, gravem & fibrosam; è qua prodeunt caules juxta radicem rubri, volubiles, tenues, nodosi, pleni capreolis, quibus ad fastigia arborum enititur; folia habet pene orbicularia, mediocria, tribus venis secundum longitudinem distincta; fructum qualem myrtus, plenum semine. Pollet pluribus virtutibus; nam folium impositum oculis sanguine suffusis, brevissimo tempore illis medetur. Licet planta sit modice temperata, tamen occulta quadam qualitate contraria est morbis calidis juxta

juxta atque frigidis; sumique potest quavis quantitate sine noxa: auget vires corporis & restituit collapsas, vel contacta & manibus trita; excitat calorem nativum. Folia illius emplastri forma applicata sanant mirifice dolores dentium, capitis & juncturarum: Notant barbari, folia parti affectæ aut dolenti applicata, de eventu morbi præjudicare: nam si firmiter adhæreant, certum signum esse ægrum convalescentem, sin decidant, contra. Sunt & inimicissima venenis; Denique nullum morbum esse ferunt cui hæc planta mederi non possit. *Fr. Ximenez.*

A portu *Zacatula* versus ortum & nobilem *Acapulco* portum, littora primum jacent inter Corum atque Eurum, triginta leucarum spatio; deinde recta ten-
 10 dunt ad Orientem altissimis ripis, (interiora assurgunt nemorosis montibus, ora autem lancinatur à variis sinibus atque recessibus) triginta leucas, ubi ingens Promontorium se in altum projicit, peninsulæ fere in modum, & valide à marinis fluctibus tunditur; ab hoc ad *Acapulco* portum numerantur octodecim leucæ. Ab eodem *Zacatula* portu versus Occidentem, primo occurrit littus modicè elatum, quod nautici homines vocant *los Motines*; id terminatur terræ angulo, vulgò *Punta de Marvata*: excipit dein humilis & planior ora, quæ multis prædiis rusticis obsidetur, vallem *de Maquile* vocant: Sequitur deinceps *Suchissi* cornu & duarum leucarum intervallo *Alima* fluvii ostium, & ingens intra continentem Sinus, quem *las Pescerías de Colyma* appellant; & ita porro *S. Iago*, *Salagua* & qua-
 20 tuor ab ea leucis *Navidad*, secundum nautica Hispanorum Itineraria.

Ad hæc Diœcesin pertinet & provincia *Tharimbaro*, quæ producit herbam purgatricem quam vocant *Montinente*, foliis exiguis, figura cordis, caulibus volubilibus & rubicundis, floribus itidem rubris, instar vasculorum orbicularium, quibus semen continetur, radice fibrosa. Semen contusum & quantitate unius dragmæ cum aqua haustum evacuat omnes noxios humores sine noxa, aut angore.

Itemque *Xicalan* sive *Xicayan*; & *Vruvapa* provinciæ, in quibus maxima copia nascuntur arbores illæ quæ exsudent resinam quandam auream, speciem *Copal*, de qua jam ante diximus. Ad oram Maris Pacifici, quam longe *Colyma* & *Zacatula*
 30 provinciæ patent, passim nascuntur arbores quæ ferunt Cocos nuces, quas Mexicani vocant *Coyolli*. Porro in Provincia *Vruvapa* sive *Hurubapa* nascitur *Enguamba*, arbor mediocris, foliis latis & concavis, quæ distinguuntur nervulis partim flavis partim rubris; floribus racematim pendulis & herbaceis, fructu nigro, pleno granis, è quo exprimitur oleum flavum, supra modum utile ad humores resolvendos, & adversus plagas.

Engu-
amba.

Ad eandem pertinet & *Tansitaro* provincia, quæ cælo fruitur argentiori: uti & *Tacambaro* montuosa & aspera.

Y U C A T A N A.

C A P. XXVI.

Yucatanæ provinciæ limites, cæli solique qualitates.

40
 50
PROVINCIAM & Præfecturam *Yucatan* (id enim nomen anno cIo Io xvii ab *Hernando Cortesio* in prima illius expeditione accepit) primis illis temporibus insulam esse credebant, quemadmodum & ipsi indigenæ qui illam idcirco appellabant *Peten*, id est, insulam; sed postea patuit Peninsulam esse, quæ pene tota mari incingitur: Complectitur ambitu suo supra ducentas quinquaginta leucas, forma pene triangulari, aut ficus viridis: patet quidem ad basim, ubi latissima est, inter ortum & occasum, pene centum, ut volunt, leucas, totidemque inter arctum atque Austrum, ab ora maritima quæ septentriones adspicit ad fines præfecturæ Guatemalensis; ubi vix viginti quinque leucas patet inter ortum & occasum. Claudunt illius limites, ad Austrum quidem fluvius *Taiza* atque *Lecandonum* montium juga; ad Africum vero provinciæ *Chiapenses*; ad occidentem denique, provinciæ *Xicalango* atque *Tabasco*; ubi oceanus duobus sinibus in continentem irrupit; quorum maximus, ore leucam & amplius lato, marinos fluctus tanta

Copia admittit, ut interius ingentem lacum impleant, in quo quamplurimæ insulæ sparguntur, magno navigantium discrimine, qui arbores signare coguntur, ut se ex illo veluti labyrintho explicent. Insulæ autem hæc uti & vicina continentis littora, infinitis variorum generum avibus, maxime littoralibus & lacustribus ad miraculum replentur, ita ut è vicinis atque adeo longinquioribus provinciis barbari huc aucupii causa advolare consueverint. Nec minor hic ferarum, cuniculorum, aprorum & simiorum abundantia; longe autem maxima Yguanarum.

Aëris temperies hic præferuida est, præsertim in illa parte quæ pertinet ad Arctum, quæ longe maxima est, & licet in tota illa Peninsulæ parte nulli amnes aut torrentes conspiciantur, nusquam tamen aquarum penuria laboratur ob puteorum 10 opportunitatem & multitudinem: infinitæ autem conchæ, testæque passim in mediterraneis sub saxis petrisque effodiuntur, quæ res uti & littorum humilitas, & maris in toto ambitu vadolitas, haud vanam suspicionem præbet, olim magna ex parte ab oceano fuisse superfusam. Hyems hic initium sumit ab Octobri, seu festo S. Francisci, quum venti à septentrionibus flare incipiunt, frigidiusculi sua natura & valetudini indigenarum infesti; nam quum caloribus assueti sint & tantum tenuiter vestiti, plerique tum catharris & febribus tentantur: durat hæc tempestas ad mensem Martium, nisi quod Januario & Februario nonnullum æstus sentiunt; & hisce mensibus non pluit nisi sub Novilunia.

Æstate autem quæ à Calendis Aprilibus ad exitum Septembris durat, pene 20 continuo pluit; tamen hoc tempore & serunt & metunt, magna ut plurimum abundantia, ob egregiam foli ubertatem. Frigus hyberno tempore vix sentitur, nisi quum aquilonares venti valide perflant, idque præsertim ab indigenis ob causas jam memoratas. Abundat regio feris, uti cervis & apris & similibus, unde & à barbaris olim *Plunuluez Tetelzeb* appellata fuit, id est, Terra Pavonum & Cervorum ut interpretatur *Herrera*. Tellus neque triticum fert neque ulla Europæas fruges: nullæ hic auri aut alterius metalli venæ hæcenus repertæ fuerunt; unde liquido patet, insigni errore à quibusdam scriptoribus proditum fuisse, ab Hispanis quum primum hic appellerent, hic cruces fuisse repertas, factas ex aurichalco (quod latinum vulgo vocant) quum ejusmodi metalli vestigia neque in hac peninsula, neque 30 in ullis Americæ regionibus umquam visa fuerint.

d. 3. l. 3.
c. 4.

Plurimi barbarorum narrant se à majoribus suis accepisse, Provinciam hanc primum cultam fuisse à gentibus quæ ab oriente post varios errores huc venerant, quæ numinis quod colebant auxilio aliarum gentium injurias evaserant, & per mare apertis utrimque fluctibus transierant. Norandum ab Hispanis narrari, quod in hac solum provinciâ Baptismi quandam umbram invenerint, quam indigenæ suo idiomate secundam nativitatem appellarent: quem vix quisquam illorum frustra negligeret, quum se ablutione illa, omnium virtutum seminio imbui & adversus noxiorum Dæmonum dolos atque injurias præmuniri opinarentur. A tertio autem ætatis anno usque ad duodecimum ut plurimum ablucebantur, nec matrimonia contrahebant nisi ante initiati. Diem ad id operiebantur auspiciatum, minimeque nefastum, parentesque & triduo ante jejunabant & à sceminarum consortio abstinabant. Multa præterea de paganis gentium harum ritibus, & institutis ab Hispanis narrantur, quæ quia jam mutata sunt omnia, referre supersedeo. Idioma horum populorum unum erat, nisi quod limitanei & qui ad oram maris agebant, paulo cultius & expeditius loquerentur.

Tota autem Peninsula, videre est ædificia ingentia è saxis substructa, quod mirum, quum ferramentis atque adeo omni metallorum genere caruerint; quæ haud dubio templa & adoratoria fuerunt; nam privatorum ædes fere lignæ erant & stramine testæ. Hodie hic ingens reperitur armentorum juxta atque jumentorum 50 Europæorum numerus; magna gallinarum copia: gossypium quoque & herba è qua fit *Anil* passim hic colitur.

C A P. XXVII.

Particulares aliquot hujus Peninsulæ provincie, & quomodo primum inventa fuerit.

DIVIDUNT Peninsulam hanc per transversum modici montes, qui à *Champton* ad occidentalem illius oram, excurrunt ad oppidum *Salamancam* usque, ad orientalem oram situm; partiunturque illam in duas partes, quarum illa
 10 quæ ab hisce montibus ad Austrum vergit & *Lecandones* atque *Taysam* attingit, ob aquarum penuriam deserta & inculta permanfit; quæ vero ab iisdem ad Arctum descendit, incolis est frequentissima, nam licet Sol inde ab ortu suo ad vesperam usque admodum ferveat, non tamen desunt auræ frigidiusculæ quæ æstum temperent, quas vocant *Brisas*, ab oriente potissimum perflantes, uti nec *Virazonas* (ut vocant Hispani) auræ quæ sub vesperam è mari sese attollunt. Montana autem regio saluberrima est, ita ut incolæ maxime sint longævi, adeo ut Franciscanus quidam testatus fuerit, se quum montana illa peragraret ut barbaros principia religionis Christianæ doceret, vidisse virum, quem, si rationes vicinorum atque ipsiusmet non fallerent, ad minimum trecentos annos natum fuisse oportuerit; erat autem ita incurvus
 20 ut genua ore contingeret, & cute adeo dura, quum semper nudus egisset, adeoque scabra, ut squamis tectus videretur. Narrat *Herrera* & alterum à pluribus visum, qui centesimum & quadragesimum ætatis annum attigerat, prout ex iis quæ accurate meminerat, erat colligere.

Adiit hanc insulam inter primos *Franciscus Hernandes de Corduba*; appulitque ad illud terræ cornu quod hodie vulgo *Cotoche* appellatur: cujus nominis ratio hæc traditur: Regulus illius tractus Hispanos alliciens ut in terram exscenderent sæpius usurpabat *Comez Cotoché*, quod ipsius idiomate sonabat, intrate sub tectum meum; quare Hispani promontorio nomen *Cotoche* indiderunt. Verum quum Hispani in terram descendissent, non tantum hic, sed & in altera parte, quam Indigenæ
 30 quidem *Quimpech* appellabant, Hispani hodie *Campeche*, à barbaris pene oppressi fuerunt, & ad Cubam Insulam reverti coacti.

Post hunc attigit eandem regionem *Ioannes de Gryalva*, ea parte, qua *Cozumelin* insula (de qua mox) ipsi prætenditur; atque ibidem (ut narrant) templa aliquot sive oratoria & cruces lapideas, ligneasque invenit, nusquam antea in America visas. Narrant Hispani ab Indigenis acceptum, Vatem quendam inter ipsos vixisse *Chilam Cambel*, qui longe ante prædixerit, peregrinam gentem adventuram ab ortu solis, quæ Crucem esset erectura, qualem ipsis depingebat, quam numina ipforum superare nequirent; gentemque illam omnes has terras subjugaturam, idolorum cultum penitus extirpaturam, barbarosque ad veri Dei cultum traducturam; atque alia
 40 ejusdem generis: atque hinc factum ut tot cruces hic invenirentur, & populus indefinenter Hispanos interrogaret num ab ortu solis advenirent. *Gryalva* deinde *Potonchan* accessit & ab indigenis hostilia multa passus, cursum flexit ad Tabascensem provinciam, neque Peninsulam penitus lustravit.

Illum secutus *Hernandus Cortesius*, insulam quidem *Cozumel* adnavigavit, atque ibidem nactus est Hieronymum de Aquilar, qui barbarorum linguam didicerat & tantopere ipsi profuit in Nova Hispania subjuganda: verum aliò tendens peninsulam tum lustrare nequaquam est aggressus.

Itaque non ante annum cLo lxxvii penitus & ex instituto lustrari cœpit; quo *Franciscus de Monteyo*, amplissimo diplomate ab Hispaniarum Rege impetrato, ad
 50 insulam *Cozumel* & *Yucatanam* peninsulam subjugandam se accinxit: & primo quidem insulam aggressus, mox ad continentem transit; applicanti ad pagum *Xamanzal*, acre cum bellicosissimis indigenis fuit certamen, nihilo tamen secius, secundum oram processit ad *Comilem*: ubi *Chacue* provincie rectores ultro ad eum venerunt, è quibus didicit, principalem hujus tractus pagum appellari *Turoh*, & illius principes *Cheles*. Dein & provinciam *Aarrinchelen* quæ & *Yzamal* dicitur, est ingressus, incolis nequaquam reluctantibus: atque inde provinciam *Tutulxin* cujus caput

erat *Mini* (quatuordecim leuc. ab eo loco, quo nunc *Merida* jacet) cujus habitatores ipsum auxilium poscebant adversus *Cocomes*.

In eadem provincia & *Chetamal* provincia celebratur, in qua olim *Villareal* condita fuit, nunc autem *Salamanca* jacet. *Campeche* atque *Champton* ubi hodieque urbs ab Hispanis incolitur. His accedit *Cochuaque* aspera & montosa provincia, cum municipio *Tulma*; & pago *Chable*, ubi Hispani se auri venas reperturos aliquandiu frustra speraverunt. Huic proxima est provincia *Guayamil*.

Denique *Chechinizam* provinciam incolebant *Yzaes*, quorum primarius pagus dicebatur *Mayapan*, ubi nunc *Merida* sita est: *Zututam* tenebant *Cocomes*: *Canulem* advenæ quidem è *Tabasco*, origine autem *Mexicani*.

C A P. XXVIII.

Oppida Hispanorum in Yucatanæ, Merida, Vallodolid, Campeche.

PRIMARIA hujus Provinciae civitas est *Merida*, distans ab æquatore versus Arctum viginti gradus ut testatur *Herrera*, & pene in medietate hujus peninsulae sita, septentrionali tamen illius littori propior, & haud supra duodecim leuc. à Mari: hoc loco quondam magnum barbarorum municipium *Mayapan* fuisse dicitur, multis & vastis ædificiis lapideis ornatum, quorum parietibus nudi homines erant insculpti, ita ut non frustra ipsorum sacraria fuisse judicaverint Hispani: hodie vocatur oppidum *Merida* ob similitudinem cum Hispaniæ urbe. Præfectus totius provinciae una cum reliquis Regiis ministris hic ut plurimum degit; ibidem & templum est Cathedrale; licet haud supra centum familias Hispanicæ hic habitare, ab illis qui viderunt, proditum reperiam.

Secunda urbs *Vallodolid*, distat à *Merida* unam & triginta leucas versus Eurum; hic sumtuosum admodum monasterium cernitur Franciscanorum: inque agro hujus urbis supra quinquaginta millia barbarorum numerantur qui Hispanis tributum pendunt.

Tertia urbs *Campeche*, S. Francisci nomini dicata, distat ab Æquatore ut à diligentioribus mensuris fuit observatum gradus novemdecim, quinquaginta pene leucas à *Merida* versus occidentem aut potius Africum: jacet ad litus quod *Novam Hispaniam* respicit; portumque habet modicum ad patentem quidem, sed vadiosorem sinum. Accepit ab hoc oppido nomen ligni quoddam genus, quo tinctores utuntur, quodque magna copia infertur Europæ, est autem species quædam *Brasil*, & forte *Cuhuraqua* frutex quem supra descripsimus. Cæterum oppidum hoc anno 1596 à *Wilhelmo Parkero* Anglo interceptum fuit, in hunc modum. Promontorium *Cotoche* prætervectus, atque inde litus *Yucatanæ* stringens usque ad promontorium alterum quod vulgo vocant *Disconocido*, onerariam quidem suam sex ab oppido leucis in anchoris constituit, & quinquaginta sex suorum, majori barbarorum cymbæ, quam *Pyraguam* vocant, impositis, recta contendit ad portum; ubi juxta monasterium S. Francisci in terram descendens hora tertia matutina, tam inopinatus oppidanis supervenit, ut præfectum oppidi atque prætorem interciperet & reliquis civibus, qui supra quingentos erant, inter tenebras elapsis, nullo negotio oppido potiretur. Verum quum ii qui effugerant, animum à nocturno pavore recollegissent, sub horam decimam magnis copiis affuerunt, & impetu in Anglos spoliis legendis occupatos facto, primo congressu sex illorum prosternunt, & ipsum ducem gravissimo sclopeti ictu sub sinistra mamilla vulnerant: Qui tamen in tanto discrimine minime se deseruit, sed suos tanto hostium numero impares cernens, novo strategemate illorum impetum sustinere & frangere est aggressus: nam captivos omnes brachiis inter se connexis pro vallo suis obiciens militari ordine se recepit ad portum. Stabat ibidem in anchoris liburnica, regio tributo, auro, argento, aliisque pretiosis mercibus onusta, quam in conspectu hostium ceperunt atque una cum *Pyragua* ad onerariam suam deduxerunt. Pagum quoque, *Sebo* vulgo, qui è regione stationis ipsorum situs, à trecentis quadringentisve barbaris habitabatur, nullo negotio ceperunt, atque tantum ligni *Campechiani*, mellis, ceræque abduxerunt.

xerunt, quantum navis illorum ferre poterat, & opimis spoliis onusti recesserunt.

Quarta denique urbs dicitur *Salamanca*, sita in provincia *Bacalar* sive *Chetemal* septuaginta leucis ab oppido *Merida* versus Austrum, totidemque pene à *Vallodolid* secus littus quod à *Sinu Hondurensi* alluitur.

C A P. XXIX.

Ora maritima Yucatanæ, portus, insulæ adjacentes.

10 **M**A R E in hujus Peninsulæ ambitu admodum est vadofum, ita ut majoribus onerariis haud propius quam quatuor quinqueve leucis tutus pateat accessus, neque ullum portum præterquam minoribus navigiis aperiat, longeque vehementius hic fluit atque refluit, quam usquam in tota Nova Hispania: præterea littus omne adeo depressum est, ita humile, nullisque collibus aut arenariis tumulis obfitum (præterquam inter *Campechem* & *Champton* ubi nonnulli colles eminus sese ostentant, & mons unus satis altus quem vulgo vocant *Morro de los Diabolos*;) ut non ante ex alto à navigantibus conspiciatur, quam ubi jam propius pene accesserint, quam tutum sit. Præter hæc brevina atque vada longius à littore cum majoribus navigiis abstinere cautio est; nec minus propter scopulos, qui littus undique
20 quaque obsident, maximo ni prudenter caveas anchorarum & funium dispendio, nec tamen si forte navis vado impingat, præsens exitium incurritur, ob fiti cænosam mollitiem.

Porro hæc peninsula respicit ad Arctum Insulam *Cubam*, septuaginta ut observant leucarum intervallo, ad ortum autem *Honduræ* ut vocant provincias; interjacet hic amplissimus sinus (quem *Ioannes Gryalva* quondam *Assensionis sinum* appellaverat) qui jam *Hondurensis* audit, multis insulis refertus, (de quibus suo loco) & crebris naufragiis, eorum qui commercia inter utrasque provincias exercent infamis. Ad oram autem quæ *Tabascensem* provinciam contingit, hi numerantur portus; *Cicla* atque *Telichaque*, item *Cical* atque flumen *Cauquil* quod duplici ore in oceanum egreditur: de hinc *Campeche* modicus portus, ea parte qua *Novam Hispaniam*
30 intuetur. Denique promontorium quod vocant *Delgado*, ad ipsum littoris sese versus orientem reflectentis cubitum; Huic objacet Insula aliquot leucarum intervallo, quam vulgo *Desconoscidam* appellant, tota vadis & scopulis in ambitu cincta, unde illi nomen. Et ab hac circiter octodecim leucis versus occidentem Insulæ *La Zarza* & *Triangulus*, tres exiguæ insulæ, alteri paulo majori veluti connexæ, & crebris vadorum brevibus navigantibus insidiosæ. Præterea sedecim à dicto Promontorio leucis jacent insulæ quas vocant *de Arenis*: atque *Vermeia* triginta leuc. versus septentriones. A qua *Los Negrillos* tres insulæ, vadis atque rupibus undiqueque septæ, triginta leuc. versus ortum disparantur.

40 Denique famosæ insulæ, quas vocant *Los Alacranes*, absunt ab ora *Yucatanæ* viginti leucas versus Arctum; navigantibus omnino vitandæ, ob brevina & vicinos scopulos; quare ab extimo promontorio Insulæ *Cubæ*, *Novam Hispaniam* petentes, pro tempestatum diversitate, aut intra aut extra hæc insulas cursus suos solent instituere: Sunt autem tres insulæ parvulæ, quæ distant ab *Æquatore* circiter duos & viginti gradus. ut *Oviedus* tradit; cæcis rupibus longe lateque in ambitu obfitæ, & multorum naufragiis, præsertim *Licentiati Suasi*, infames; qui tamen cum suis mirabiliter ex illis evasit, uti ab eodem *Oviedo* narratur. Nimirum hunc cum na-
50 vigio quinque & quadraginta doliorum soluisse è portu *Xagua*, qui est in insula *Cuba*, & superato promontorio *S. Antonii*, quum *Novam Hispaniam* peterent, in *Freto Mexicano* aliquot diebus horrenda tempestate jactatos, demum navem fregisse ad scopulos & septem aut octo supra quadraginta qua viros qua scæminas & pueros enataste, & exiguo lintre monoxulo evasisse in insulam minutam aut potius vadum è mari extans, ubi aliquot diebus vitam misere traxerint testudinibus ibidem inventis; mox in aliam paulo majorem transfretasse, ubi avium copiam invenerint; & denique in tertiam itidem exiguam, in qua tandem non sine miraculo scrobem effoderint & aquam potabilem invenerint, plurimis interim siti enectis: hic è fractæ navis tabulis

cymbam fecisse, quam in Novam Hispaniam miserint, unde advenit navis quæ cum summo discrimine Licentiatum hunc cum aliis sedecim qui ex omni numero supererant, incolumes duxit in Novam Hispaniam.

Sed ad oram Continentis jam revertamur. Promontorium *Delgado* versus orientem prætervectos, excipit *Sisal*, Meridæ oppidi portus, cui ad arctum brevia quædam objacent, *los Baixos de Sisal* vocant nautæ, quæ distant ab Æquatore gradus unum & viginti & quadraginta scrupula, & ad tres leucas inter Eurum & Corum descendunt in altum. Orientalis autem hujus Peninsulæ angulus appellatur *Cotoche* ad altitudinem unius & viginti graduum & aliquot scrupulorum, ubi Indorum pagus cernitur cum suo templo; vocant *Igreia de Icao*.

Ab hoc promontorio ora statim ad Austrum atque Africum revertitur, & ad ipsum pene oræ sese reflectentis cubitum, insulæ aliquot exiguæ, quas vocant *Mulierum* continenti pene cohærent. Haud longo deinde intervallo, insula occurrit, à famoso barbarorum Idolo *Cozumel* dicta, quam Indigenæ Yucatanæ quondam ex omnibus vicinis provinciis religionis ergo crebrius adibant: abest autem à continenti leucas quatuor; patetque in longitudinem quidem quindecim, in latitudinem vero quinque; destatque ab æquatore gradus circiter viginti versus Septemtriones. Indigenæ eadem lingua, moribus atque institutis utebantur, quibus reliqui Yucatani. Hanc Insulam primus adiit *Franciscus Hernandez* & post illum *Ioannes de Gryalva* anno 1517 & nomen *S. Crucis* eidem imposuit, quod tamen hodie videtur obsolevisse. Sequentibus deinde oras quæ dextræ sunt, in interiori freto *Hondurensi* (ita enim sinus ille, de quo ante, hodie appellatur) tres minores insulæ obviæ fiunt admodum vadosæ, quas à forma *Triangulum* vocant: è regione Lacus *Bacalal* qui in continenti jacet, triginta leucis ab altero Lacu qui *Chetemal* dicitur. Reliqua ora ad oppidum *Salamancam* usque, ad eundem modum pluribus insulis obtegitur; quarum una *Pantoia* dicitur, haud longe à brevibus, quæ naucleri haud vana monentes *Quitafuenno*, id est vigila, nominant; altera *Zaratan*: tertia *Lamanay*; ultima denique *Tllob* in interiori Sinus hujus gremio; quarum præter nomina vix quicquam innotuit. Atque hætenus ora Yucatanæ ad austrum sive Africum pertinet.

T A B A S C O.

C A P. XXX.

Tabasco provincie limites, cæli solique qualitates, Indigenæ, oppidum, aliaque.

PROVINCIA *Tabascensis*, fines jungit ad ortum cum Yucatanæ, cujus & præfecturæ annumeratur, ad occidentem cum *Guaçacoalco*; ad austrum dividitur montibus à *Chiapa* & *Vera pace*; ad arctum habet mare septentrionale sive Fretrum Mexicanum. Patet secundum oræ maritimæ ductum in longitudinem circiter leucas quadraginta inter ortum & occasum; in latitudinem vero totidem pene, ab ora ad montana Chiapensis provinciæ.

Solum maxima parte planum est & uliginosum, crebris paludibus & stagnis ubiq; pervium (in quibus varii pisces, etiam vastæ molis nutriuntur, imprimis manati & Testudines marinæ) nihilominus plurimis nemoribus & lucis opacum. Cælo est perquam humido, siquidem fere novem mensibus continuis hic pluit, præfervidoque, unde quidem hic ingens molestissimarum culicum copia generatur. Cæterum solum hic uberrimum, non modo armentis pabulum abunde subministrat, sed & maizium & cacao (harum regionum divitias) reddit cum maximo fœnore. Indigenæ enim ab Hispanis edocti, jam dudum terram colere, sementem facere, greges armentorum pascere & peregrinas arbores atque fruges cæperunt colere; unde hic plurimæ hodie vites, ficus, aurantia mala, citreaque & similes fructus reperiuntur: præterquam quod sylvæ ipsorum sponte sua optimos fructus producant: inter quos memorant *Mameyes* quem fructum *Oviedus* describit inter fructus Insulæ Hispaniolæ,

hoc modo, est optimus fructus, rotundus ut plurimum, pugni magnitudine, cortice aspero, coloris leonini, habens ossicula interdum bina interdum terna, in medio sui tenui pellicula cooperta, coloris castaneæ, saporis amari instar fellis; ambit hæc ossa caro colore fulvo, & sapore mali persicæ: arbor quæ hos fructus fert procera est, pulchra foliis nucis sed longe majoribus. item *Zapotes*; Arbor quæ hos fructus fert dicitur in Nova Hispania *Cochiz Tzapotl*, hanc *Fr. Ximenez* ita describit; est arbor grandis deformis, foliis Aurantiæ mali, raris & ternis per intervalla; trunco variegato notis quibusdam albis; floribus exiguis & flavis; fructus illius refert figura malum cotoneum, & interdum est illius molis, Hispanis dicitur *Zapote blanco*: est edulis, grati
 10 saporis; verum non admodum salubris, ossiculum illius est lethale venenum. Item *Aguacates* & *Guajabos* de quibus jam ante, aliosque & odoris suavitate & saporis gratia præcellentes. Sed unam imprimis habet arborem domesticam, quantivis pretii, quam vocant *Xocoxochitl*; quæ est arbor grandis, foliis mali aurantiæ, fragrantissimis; floribus rubris instar granati, odore item aurantiorum, grato juxta ac suavi: fructibus rotundis & racematim pendulis, qui initio quidem sunt virides, sed postea ruffi, & ad extremum nigri; acris saporis & mordacis, bonique odoris; calidi & sicci in tertio gradu, ita ut piperi substitui & pro carpobalsamo in officinis possit obtrudi. Hispani vulgo vocant Piper Tabascense. Corroborat Cor
 & Ventriculum; amicum est utero; discutit flatu; aperit obstructa; movet urinam
 20 & menses; succurrit Cholicis & Nephriticis doloribus: consumit humores crassos & viscosos & fugat rigores febrium. Maizium hic bis quotannis, interdum & ter colligitur: Oryzam quoque & milium haud maligne fert tellus, uti & omnimoda olera. Abundat hæc provincia tigris, leonibus, cervis, damis, apris, cuniculis, armadillis & similibus animantibus. Maxima quoque hic avium copia & infinita varietas. Gossypium licet passim hic nascatur, tamen id minime curant Indigenæ, sed vestes & alia necessaria petunt ut plurimum è Yucatana; ipsi pascendis vaccis atque porcis se occupant, & imprimis *Cacao* fructibus custodiendis, quos ægerime, quum maturescere incipiunt, contra simiorum & sciurorum furta, tueri possunt. Mosquiti hic tam frequentes tamque molesti, ut somnum capere nisi sub retic
 30 cularis tectoriis, vix liceat.

Fuit quondam hæc provincia longe frequentissima indigenis, qui jam magnam partem pestilentia atque aliis morbis interierunt, & imprimis pessima illa consuetudine frigida se abluendi, quocumque tandem morbo tententur; & quum Christianis legibus plures uxores ducere prohibeantur, tantum hodie quantum olim incrementum sumere nequeunt. Cibo quidem dum gentiles essent parco utebantur, potu vero largo admodum se ingurgitabant, præsertim illo quem è *Cacao* conficiebant admista pollenta; itemque altero è mayzio cocto, acidiusculo & in magno æstu potari pulcherrimo. Postquam autem Hispanorum moribus imbui cæperunt, & magis conjunctim in pagis degunt, & stans horis cibum capiunt, bovillis & porcillis carnibus
 40 victitantes; & potu è maizio cocto & *Cacao*, variisque aromatibus condito, quem vocant *Cocolaten*, utentes.

Denique tribus linguis vulgo utuntur; quarum prima appellatur *Chontal*, verborum copia insignis, ex pedita & maxime communis: altera est quam *Zoques* usurpant, qui montes incolunt, qui provinciam hanc dividunt à *Chiapa*; Tertia denique *Mexicana*, quam primum à præsidiariis *Mexicanis* acceperunt, quum duo munimenta *Zimatlan* & *Xicalango* in ipsorum finibus tenerent; quam hodie lubentissime usurpant, partim quia cultior est & toti Novæ Hispaniæ communis, maxime autem, quia religiosi varias cantilenas hac lingua populo tradiderunt, quibus summo
 50 pere delectantur.

Unicum in hac provincia oppidum incolitur ab Hispanis, quod gentili nomine quidem *Tabasco*, sæpius tamen *la Villa de nuestra Señora de la Vittoria* nominant, in memoriam prælii prospere juxta hunc locum à Cortesio contra Indigenas pugnati, quum primam in Novam Hispaniam expeditionem susciperet; & non raro simpliciter *Vittoriam*. Distat à *Cuidad Real* oppido provinciæ Chiapensis septuaginta leucas, ad quam provinciam primum adverso flumine Gryalva subeunt leucas quadraginta, dein terrestri itinere per asperos & frigidissimos montes, triginta: ex hisce montibus
 multi

multi amnes descendunt in provinciam Tabascensem. Idem distat à Metropoli Mexicana terrestri itinere leucas centum & sexaginta, maritima ad Veram Crucem & inde porro terrestri centum & quadraginta: à Campeche mari quinquaginta.

Flumen *Gryalva* amplissimum est & intra fauces supra octo orgyas altum, in ipso ore vadofius & maris accessu cum pernici amnis decursu colluctante, vorticosum & aditu perdifficile. Descendunt in hoc quinque alii amnes, præter innumeros torrentes & lacuum emissaria. Exonerat autem se in altum duplici ostio, quorum unum quartam milliaris partem latum, oram quæ hic inter ortum & occasum jacet, dividit per transversum, & devolvitur recta ab Austro in Arctum: alterum properat ab Africo ad Aquilonem. 10

Tribus autem à jam dicto oppido leucis, aliud flumen per duo æstuaria oceano miscetur; quorum unum *Gryalva* veluti è propinquo salutato, cubito se flectit, raditque pagum *Tabascillo* veteris municipii *Pontonchan*, quod Cortesio famosam interpretem Marinam dedit, reliquias. E regione porro hujus pagi, torrens *Tacanís*, per Lacum quendam, pergit ad flumen *S. Petri & Pauli*, quod est alterum hujus provinciae flumen satis validum; sed angusto ostio, quod ad arctum patet, profundum & limpidissimum, optimosque pisces magna copia nutriens: ripas illius tegunt vernantes sylvæ, in quibus plurimæ feræ capiuntur. Per torrentem vero illum, Mexicani, olim quum provinciam hanc suis præsiidiis tenerent, navigabant lintribus monoxulis ad arcem *Xicalango*; unde & lacui nomen ab Hispanis datum *El lago de Xi-²⁰calango*. Ex hoc lacu fluvius *Xstapa* egreditur versus eorum, navigabili alveo, quem lintribus descendunt ad *Xonutlam* ii qui Yucatanam petunt.

Denique à mense Septembri ad exitum Martii ora maritima hujus provinciae valde infestatur à ventis qui ab Arcto, Coro atque Aquilone perflant; ita ut illis mensibus cum summo discrimine hic navigetur; reliquis autem mensibus hic regnant Subsolanus atque Vulturinus; raro Auster, qui hic supra modum insalubris & cerebro gravis.